1
1124

Clariſ

D.LVDOV

IA ET ZVNNIGA,

ſis præfecti, Com

Germanico, à Ca

mo geſto, libri du

Brugenſi latinè

ad hiſtoria

ill




ANTV

In ædibu

M

Cum

# Clariſsimi viri

D. LVDOVICI AB AVI-
LA ET ZVNNIGA, MILITIAE ALCANTAREN-
ſis præfecti, Commentariorum de bello
Germanico, à Carolo V. Cæſare Maxi-
mo geſto, libri duo à Gulielmo Malinæo
Brugenſi latinè redditi, & iconibus
ad hiſtoriam accommodis
illuſtrati.




ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioan. Steelſij.
M. D. L.

Cum Priuilegio.

Cæſareo priuilegio cautum eſt, ne quis *præter Ioannem Steelſium, librarium à Cæs. Maieſt. admiſſum, in vniuerſo Cæs. Ma. dominio intra quadriennium imprimat, vel imprimi curet, vel alibi impreſſos diſtrahat, Commentarios Ludouici ab Auila & Zunniga De bello germanico, à Gulielmo Malinæo Brugenſi latinè redditos. Qui ſecus fecerit, ei mulcta viginti florenorum in ſingula exemplaria indicta eſt, vt latius patet in literis eidem à Cæs. Maieſt. conceſsis Bruxellæ X. Martij M. D. L. Et ſubſignatis*

*L. de Zoete.*

# ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMINO

Coſmo Medici, Florentiæ Duci, Gulielmus Malinæus Brugenſis.

S. P. D.

QVum rei militaris virtus, vt à Cicerone dictum accepimus, Illuſtriſsime Princeps, cæteris virtutibus præſtet, omnia literarum ſtudia, & ferè quælibet vitæ actio lateant in tutela ac præſidio bellicæ virtutis, omnia deniq; quæ ſunt in imperio, in ſtatu Reip. ab iis defendi & firmari putentur, qui militari virtute antecellunt, rectè id mihi inſtitutum eſſe videtur, vt, quæ ſimul atq; increbuit ſuſpicio tumultus, artes ilicò conticeſcunt, illæ ipſæ, tranquilla iam libertate reddita, protinus excitatę in ſummi Imperatoris laudem conuertãtur, à quo ſalutem & conſeruationem acceperint. Nam & iure quodammodo imperatoriæ virtutes quaſi mercedem rerum geſtarum ab eruditis repoſcunt, vt in memoria gratorum hominum tanquam in luce ponantur, & ſcriptores ipſi non ſolum viui ac præſentes, ſtudioſos rerum cogno-

cognoſcendarum docent & adiuuant, ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur. Quo fit, vt, quum natura nihil pręſtantius habeat, nihil quod magis expetat quàm honeſtatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus, hæc nimirum præmia tam bonus Princeps, quàm ſcriptor incorruptus, ſuo vtrique ſtudio adepti, vitæ breuitatem poſteritatis memoria cõſolētur, & his gradibus etiam homines, vt ille ait, in cœlum videantur aſcendere. Quarum rerum honeſtiſsima gloria D. Ludouicus ab Auila ductus, commẽtarios de bello Germanico à Carolo V. Cæſare geſto, ſumma fide & veriſsima geſtorum ſcientia ſcripſit, vt qui nõ ſermone, ſed vſu manuq; compertum haberet quicquid vtroque hoc bello acciderit. Cæterum quum ipſæ res geſtæ quanto laudatiori nobilitate ac magnitudine, omnis ante nos memoriæ, omnium gẽtium illuſtria facta præcellunt, tanto præclariori quoque & magis frequenti æternitatis ſuæ præconio in orbis totius, imò ſeculorum omnium theatrum

trũ produci debeant, facturus mihi operæpretium videbar, ſi, quos patrio ſermone cõmentarios ille confecit, eos ego in Latinam linguam traducerem cuiuis hominum nationi familiarem & celebrem. Hac videlicet ratione futurum exiſtimans, vt & ipſius hiſtorię dignitas, & ampliſsimi ſcriptoris auctoritas, latiorem ſibi ad immortalitatem viam conſternerent, pręſertim vbi auſpicatiſsimi nominis & potentiæ tuæ ſublimitatem, velut perpetuam ſui conſeruatricẽ nanciſcerentur. Quum enim ad boni principis ſimulachrum omnes quidem mortales, ſed imprimis ipſi principes & qui Reipub. præſunt, velut ad ſpeculum debeant vitam moresq́; componere, tibi vni, Illuſtriſsime Princeps, verſionis huius labores nuncupatos volui, propterea quòd ex diſciplinis & exemplis, quę in rebus à Cæſare geſtis comperias, eò maiorem fructum capturus ſis, quo ſanctiore amoris amicitiæq́; religione & fide præ cæteris omnibus tu illi coniunctus es. Non potes autem ſingulari lætitia & voluptate nõ affici, dum iſta le-

 gens,

gens,Cæſarem virtute ſua, magnanimi=
tate & ſcientia rei militaris, ex maximis
difficultatibus periculiſq́;, ad æternum
nominis ſui decus & opinionem emer=
ſiſſe conſyderes, qui (quod omnes ho=
mines norunt, & mihi priuatim etiam
certiſsima ratione perſpectum eſt) præ=
ter veterem ſummamq́; in eum obſeruã
tiam, tanto quoq; ſtudio & ardore quo=
dam beneuolẽtiæ ipſum perpetuò pro=
ſequutus es, vt & tua ipſius, & tuorum
omnium neglecta ſalute, quodcunq; tẽ=
pus incideret, firma ſtabilitate & conſtã=
tia, fortunæ quam Cæſar ferret, tibi ſem
per inſeruiendum putaueris. Integerri=
ma profectò tua iſthæc eſt & inuiolabi=
lis fides, virtutis nimirum altiſsimis defi
xa radicibus, in qua, quum altiſsimum
quoq; locum in homine, & maximè ex=
cellentem teneat, quæq́; cadere in homi
nem poſsint, ſubter ſe habeat, firmiſsi=
mum rerum tuarum omniũ præſidium
collocaſti. Accipe igitur Illuſtriſs. Prin=
ceps labores noſtros, eoſq́; auctoritate
tua ſic tuearis, vt inuidiam minus grauẽ
ac noxiam ſentiant. Scio enim non defu

turos,qui velut nouam quandam & ni-
mis liberam vertendi rationem ſuggil-
lent, facta collatione ad vulgata exem-
plaria,à quibus multis locis diſceſſerim,
pleraq; etiam addiderim, nõnulla dem-
pſerim. At nihil temere à me factum eſt,
aut ſine cõſilio. Archetypũ ipſum in cu
biculo Cæſaris aſſeruatũ ſequutus ſum,
nec id quidem tam anxiè quin aliquot
locis digreſſus ſim, vbique tamen, ſi non
arcta verborũ & ordinis obſeruatione,
ſenſu tamen eodem ferè & integro. Qua
ratione ſi obtrectatoribus per me non
factũ eſt ſatis, vereantur ſanè neceſſe eſt
Illuſtriſs. D. Pratenſis acerrimum iudi-
cium & grauitatem. is enim pro incredi
bili quadam erga ſtudioſos omnes hu-
manitate, libellum priusq̃ ederetur, dili-
gẽter perlegit, quæq; inexpolita & rudia
viderentur, iis perſpicaciſsimi ingenii
ſui limam addidit. Ipſe itaq; celſitudinẽ
tuam in partem defenſionis iuuabit, ſi
vitilitigatorum tædio & moleſtia affe-
ctus, eos ad tantam Principis viri digni-
tatem & eruditionem relegaueris.

Vale.

# RERVM QVÆ IN HOC OPERE tractantur memorabilium Index.

A, priorem faciem. B, poſteriorem deſignat.


AEgra Boëmiæ oppidum 103.b
Aguilera tribunus 58.b
Albanus imperio belloq́ue præficitur 17.b
Albani ducis erga Cæſarē fides 17.b
Albanus in ſylua inſidias collocat 62.a
Albanus in Saxones irruit 120.a
Albertus Brandenburgius cum expedito exercitu à Cæſ. in Saxoniā miſſus. 96
Alberti Ducis in Saxonia copiæ profligatæ 99.b
Albertus in hoſtium poteſtatem venit 100.b
Albertus libertati reſtitutus 134.b
Albis traiiciendi difficultas 112.a
Albis difficultas à Cæſare ſuperata 113.b
Albis à Cæſarianis traiicitur 116.a
Aldana tribunus 58.b
Aldēburgius tribunus 39.b
Alexander Farneſius Pōtif. ad Cæſarē legatus 66.b
Alexander Vitellius 26.b
Alphonſus Viues. 11.a. 35.b
Aluarus à Sanda 7.b. 35.b
Aluarus à Sanda & Marignanus à Cæſare in Saxoniam miſſi 97.b
Antonius à Toleto equeſtrium ordinum ductor 22 b. 107.a
Aquila ſupra Hiſpanorum verticē viſa volitare 125.b
Argentoratum quibus conditionibus in Cæſar. fidem venerit 101.b
Arzius tribunus. 7.b. 25.b
Auctor in aula Cæſaris educatus 103.a
Auguſtana pactio 9.a
Auguſtani, primi ad arma concurrunt 7.a
Auguſtani ad Cæſarem legatos de ſalute ciuitatis mittunt 91.a
Auguſtanorum ad Cæſar. ſupplex oratio 92.b
Aurei velleris conuentus Traiecti celebrati 2.b
BArbanſonius è Flandrica gēte illuſtr. 65.a
Belli ſumma in Danubio occupando poſita 54.b
Belli Germanici initiū 5.b
Belli ratio in caſtris mutandis & conſtituendis poſita 62.a. 64.b

*Belli vtriuſq; ſeminarium, idem* 102 b
*Boëmorum arma* 105 b
*Boëmorum de ſaltibus occupādis conſilium* 104 b
*Boëmi legatos ad Cæſarem de pace mittunt* 132 a
*Boſſingæ deditio* 80 b
*Boryſthenitæ Cæſari copias auxiliares offerūt* 131 a
*Buranus qua ratione Rhenum tranſierit* 40 b
*Buranus Frācfordienſes in fugam coniecit* 40 b
*Buranus cū omnibus copiis incolumibus ad Cæſarem peruenit* 43 a
*Buranus in Flandriam cū copiis remittitur* 83 b
*CÆſaris in Germaniā profectio* 3 a
*Cæſ. nomē in Germania, loco exercitus & muri* 11 b
*Cæſaris copiæ* 18 b
*Cæſar ſuorum animos periclitatur* 21 b
*Cæſar agmina cohortatur* 29 b
*Cæſar & Albanus pedites Neoburgi ſitum perluſtrant* 43 b
*Cæſaris ad Neoburgum copiæ* 45 b
*Cæſaris induſtria admirabilis* 48 a
*Cæſar ad Monhamium caſtra locat* 48 b
*Cæſar podagra conflictatus* 50 a 99 a
*Cæſar hoſtes ad prælīū elicit* 53 b
*Cæſaris ſtratagema* 58 a. 63
*Cæſar vetera ad Laugingā caſtra repetit* 66 b
*Cæſaris copiæ aduerſa valetudine attenuatæ* 67 a
*Cæſaris de Franconia occupanda conſilium* 79 b
*Cæſar in Virtembergēſem agrum cū omnibus copiis tendit* 88 a
*Cæſar à militibus parentis appellatione noīatus* 90 a
*Cæſar quibus cōditionibus ciuitates atque nobiles in fidem acceperit* 93 b
*Cæſar chyna radice ad podagrā Vlmæ vtitur* 94 b
*Cæſar in expeditionē Saxonicam proficiſcitur* 97 b
*Cæſaris valetudo podagra attenuata* 99 a
*Cæſ. Norimbergæ magna ciuium gratulatione excipitur* 102 b
*Cæſarem rationis & conſilii ſui ſcopum rectiſsime ſemper attigiſſe* 109 b
*Cæſarem à nebulis infeſtari* 110 b
*Cæſaris Caroli, cum C. Cæſare collatio* 115 b

Cæſaris nomen à fœderatis ludibrio habitum 122 a
Cæſaris animi magnitudo. 124 a moderatio 124 b
Cæſar Fæderici coniugem inuiſit 131 a
Cæſarianorum virtus, animiq; præſentia 33 b
Campidonum 9 a
Caſtelaltus 11 a
Caſtra Cæſaris 69 a
Caſtrorum Cæſaris & fœderatorum diſpoſitio ad Ingolſtadium 29 a
Caſtrorũ Cæſaris ad Wendingam diſpoſitio 52 b
Chriſti ſtatua glande bombardica traiecta 116 b
Ciuitates catholicæ 1 b
Ciuitates fœderatæ 2 a
Clementia in principe laudatiſsima virtus 128 a
Cluſa arx 9 a
Cluſæ arcis deditio 10 a
Cluſa à Caſtelalto recepta 11 a
Cœnobia à Fæderico Saxone deprædata 83 b
Conclaue Cæſaris tormẽto traiectum 36 b
Cõſilia obfirmata, in rebus magnis quãtũ valeãt 117
Cohors, quot militibus conſtet 55 b
DAnouertum, idẽ quod Danubii defenſio 12 b
Danouertũ Cæſari ſe dedit 55 b
Danubii ortus 12 b
Dexteras in appellãdo iungere vetus Germaniæ mos 83 a 93 a
Dinckelſpulæ deditio 81 a
EPiſtola ad amentum teli deligata à Fæderico & Lantgrauio ad Cæſarem mittitur 17 b
Equitum Lantgrauianorũ in Cæſarianos contumeliæ 37 a
Erneſtus Brantſuicenſis captus 123 b
Eruptiones nocturnæ cuiuis genti moleſtæ 65 a
Exploratorum Cæſaris error 60 b
FErdinandus filias elocat 4 a
Ferdinandi & Mauricii in Saxonia res ſecundæ ad Cæſ. deferuntur 67 a
Ferdinãdi filiæ à Boëmis in Pragẽſi arce incluſæ 69 b
Ferdinandi ac Mauricii copiæ 106 a
Filibertus Allobrogũ princeps 22 b 32 b
Fieſſa, ad Lycum flu. 9 a
Fieſſa capta à Schertelo 10
Fœderati de capienda Oeniponte cogitant 10 b
Fœderati de tentanda Landiſ-

disbuto cogitant 15 b
Fœderatorũ in Ratiſpona neglecta error 14 b
Fœderatorum potẽtia 13 b
Fædericus Boëmos ad defectionem ſollicitat 95 b
Fæderici in Saxonico bello copiæ 96 b
Fædericus Saxonia vniuerſa potitur 99 b
Fædericus captus ad Cæſarem defertur 122 a
Fæderici capti demiſſio 122
Fædericus, quibus conditionibus ſalutem impetrauerit 128 b (130 b
Fæderici eximia conſtãtia
Fædericus in ordinẽ redactus 130 a (140 a
Fæderici natura & mores
Fæderici vxor ad Cæſarẽ venit 130 b
Fortunæ viciſsitudo 139 a
Fortuna nunquã Cæſ. induſtria ſuperior 94 a
Foſſores Boëmi, ad vallandi vſum præ cæteris maxime idonei 35 a
Francfordia dedita 89 a
GAſpar Fluſchius coniurationis Boëmicæ princeps 104 b
Georgius à Regẽſpurg 7 a
Georgius à Regenſpurg in fata concedit 66 a
Georgius Spethus 108 a
Germaniæ rerũ ſtatus 1 b
Germani Cæſ. benignũ dominum vocant 5 a
Germanorum in denũtiando bello mos vetuſtus 17
Germanorum in Cæſ. egregia voluntas 90 a
Germania in ædito virium & ſuperbiæ faſtigio ſita 143 a
Globorum ab hoſtibus in Cæſaris caſtra emiſſorum numerus 38 b
Gota funditus euerſa 131 b
Gudelingæ deditio 57 b
HAiſtadium in poteſtatem Cæſ. venit 57 a
Hala Sueuiæ in fidem à Cæſare accepta 84 a
Hamburgum in deditionẽ venit 142 b
Heluetiorum tria millia in Lantgrauii caſtra veniũt 35 b
Heluetiorum millia tria Vlmẽſibus ſubſidio miſſa 61
Henrici ſenioris & Lantg. fortunæ viciſsitudo 134 a
Henricus Brantſuicẽſis in Bremenſi obſidione profligatus 131 a
Hiſpanorum & Lantgrauianorũ leuia prælia 34 b
Hiſpanorum & Italorum in Schertelo inſequendo celeritas 58 b

Hoſtes ſine pugna & vulnere profligati 78 b
Hiſpanorum in tranſnatãdo Albi bellica virtus 113
Hiſpanorum & Teuthonũ ad Halam ſeditio 137 a
Hoſtes in magnam rerum inopiam adducti 38 b
Hoſtes Danouertum repetunt 41
Hoſtium in caſtris à Neoburgo mouẽdis error 41 a
Hoſtes Giẽgã properãt 60
Hoſtes ſumma rerum inopia preſsi 70 a
Hoſtes caſtris ad Giẽgam locatis excedunt 73 a
Hoſtes quater à Cæſare caſtris emoti 75 a
Hoſtes copiis bipartitò diuiſis ab Haydena caſtra mouent 79 a
Hoſtium prima perturbatio & error 11 b
Hoſtium in rebus adminiſtrandis induſtria 51 a
Hoſtium error in continendo caſtris exercitu 42 b
Hungari cum Hiſpanis arctam familiaritatem contrahunt 106 b
Hungari, quemlibet leuis armaturæ equitatum virtute præcedunt 106 a
Hungaris quid in bello palmarium 120 b
Hungarorum arma 108 b
ILliprandus Madrucius 7 a 35 b
Illiprandus febri correptus interiit 102 a
Imperatorẽ an deceat manifeſtis periculis ſeſe obiicere 43 b (pis 121 b
Imperatori quæ vox turImperatoris non minus eſt cõſilio ſuperare, quàm gladio 79
Imperii nomen Hungaris exoſum 121 a
Ingrati, beneficii accepti primo immemores 104 b
Ioachimica vallis à Saxone occupata 96 a
Ioãnes à Brandenburg electoris frater 7 b 52 b
Ioannis Brandenburgenſis in pugnando virtus 54 a
Ioan. Baptiſta Sabellus 58 b
Ioan. Bapt. Gaſtaldus 22 a
Ioannes Naſſouius 88 a
Ioãnes à Geuara Lantgrauii cuſtos 139 a
Ioã. Walterus Sueuus 102
Ioachimus Rius 115 b
Ira difficilius vincitur q̃ hoſtis 124 b
LAnoius Sulmonẽſium princeps 13 a
Lanoius cũ hoſtibus leuiorem pugnam cõſerit 53 a
Lantgrauii ad Spiram profectio

fectio 3 b
Lantgrauii confidẽtia 24 b
Lantgrauii magnifica promiſſa 24 b 31 b
Lantgrauii & Fœderatorum copiæ 24 b
Lantgrauius rerum à ſe geſtarum magnitudinẽ extollit 41 a
Lãtgrauius rei tormẽtariæ peritiã ſibi arrogat 59 b
Lantgrauius duas vxores duxit 73 a
Lantgrauii vxoris frater captus 73 a
Lantgrauius quo conſilio Francfordienſium ſaluti conſuluerit 83 a
Lantgrauii ex Cæſ. victoria terror 133 b
Lantgrauius de pace agendum iudicat 133 b
Lantgrauius ab vna Cæſ. clementia cogitur ſalutis præſidium petere 134 a
Lantgrauius quibus conditionibus in Cæſaris fidem venerit 136 b
Lantgrauii coram Cæſ. ſupplex oratio 137 b
Lantgrauius, captiuitatis ſuæ impatiens 139 a
Lantgrauius à ſeipſo deceptus 139 b
Lantgrauii natura & mores 140 a
Lantgrauii arces demolitæ 140 b
Lauginga Lantgrauio in deditionem venit 41 b
Laugingæ deditio 57 b
Lazarus Schwendius 131 b
Legati ex Germania ad Cæſ. miſsi 2 b
Lenitas, virtus Cæſari ingenita 84 b
Ludouicus Quixada 76 b
Lutheranorum coniuratio 2 a vires 4 a
Lycus flu. Sueuiam à Bauaria diuidit 12 b
MArignanus, bellicis machinis præficitur 7 a
Mauricius è Saxoniæ principibus 15 a
Mauricii cum Ioan. Fœderico inimicitiæ 15 a
Mauricius à tergo ſclopo petitus 123 a
Mauricius Electoria inauguratione ornatus 136 a
Maximilianus Hungariæ princeps 7 b 52 b
Memminga et Campidonũ ad Cæſ. legatos de deditione mittunt 89 b
Maximi & fortiſsimi cognomen Cæſari delatum 140 b
Militum Cæſarianorũ virtus 115 a

Miſ-

Miſnia à Fæderico recuperata 108 a
NEoburgi deditio 44 b
Nicolaus Siccus 58 b
Norlingenſes hoſtium cohortes duas in oppidũ recipiunt 49 b
Norlingenſes de deditione legatos ad Cæſarem mittunt 70 b
Norlingenſes pacem à Cæſare petunt 80 b
OCtauius Farneſius Cæſ gener 18 a
Oratores à ciuitatib. Cæſ. adeunt 4 b
PAlatinus & vxor ad Cæſ. Spiram venit 3 a
Palatinus in Smalcaldicũ fœdus tranſit 3 b
Palatini equites in hoſtiũ caſtra veniunt 37 b
Palatinus in gratiam Cæſ. cupit recipi 84 b
Palatinus in antiquũ gratiæ & honoris locũ à Cæſare reſtitutus 85 b
Petrus à Guzman Hiſpanus 14 a
Pontificis copiarũ ad Landishutum aduentus 18 a
Prælii poteſtas Cæſarianis cum hoſtibus nunquam oblata 78 a
Præſentia principis quam neceſſaria exercitui 30 a
Proſcriptionis Cæſareæ cõditiones 15 a
Pyrrhus Columna 16 a
RAtiſponæ deſcriptio 5 b
Rotenburgum ſe in Cæſ. fidem permittit 81 b
Ruſticus vadum ad Albim traiiciendũ Cæſari detegit 114 b
SAxonis et Heſsi ad Cæſarem literæ 11 b
Saxonis & Heſsi copiarũ ſumma 13 a
Saxo & Lantgrauius ſola Cæſ. virtute perterriti 17
Saxo & Heſſus de pace cũ Cæſ. per Ioannem Brandenburgenſem agũt 71 a
Schamburgius 7 a
Schertelus Cæſ. olim ſtipator 9 b
Schertelus præſidiũ ex caſtris Auguſtã deducit 58
Scherteli apud Auguſtanos auctoritas 91 b
Schertelus Auguſta diſcedit 92 a
Schorendorfia, Aſchpergũ & Kirchenbergum Cæſareæ poteſtati permiſſæ 88
Signifer Lantgrauii cum ſigno in caſtra per Cæſarianos relatus 65 b
Silentii fides deſiderata 6 b
Smalcaldicum fœdus 1 b

Sol ſanguinolentus 126 a
Sol altior ferri q̃ pro horarum ratione viſus 126 a
Soltum pagus 58 b
Sylua nigra Hercyniæ caput 13 a
THumſernus Saxoniæ ducis legatus 101 a
Thumſernus Boëmos ad defectionẽ ſollicitat 101 a
Thunetenſium regis erga Cæſarem officium 131 b
Tilingæ deditio 57 a
Tormentorum in Cæſarianos emiſsio 30 a
Tormenta ſex Cæſarianorum diſploſa crepant 31 a
Torga in deditionem accepta 125 a
Traiectum ſuperius 2 b
VIctoria cruenta militum virtuti tribuitur 79 a
Victoriæ fama pro Cæſ. bellum gerit 84 a
Victoria Cæſaris, voluntatum commutationem attulit 89 b
Victoria Cæſ. circa quid verſata eſt 95 a
Virtembergẽſium agri fertilitas 12 b
Virtembergenſium ruſticorum robur, animiq; fortitudo 66 b
Virtembergenſium ruſticorum millia quindecim in Lãtgrauii caſtra veniunt 66 b
Virtembergenſium dux in Cæſ. poteſtatẽ venit 88 b
Virtembergenſis principis ad Cæſarem ſupplex oratio 98 a
Virtus, etiam improbos ad amandum allicit 90 b
Virtuti nil inuium 113 b
Vitembergæ topographica deſcriptio 126 b
Vitembergæ deditio 130 b
Vlmenſiũ inter fœderatos præcipua auctoritas 13 b
Vlmenſes paci conciliandæ ſtudent 86 a
Vlmenſium apud Cæſ. ſupplex oratio 86 a
Wendingæ deditio 48 a
Wolfangus Crucius 118 b

FINIS.

# INVICTISS. CAESARI
## CAROLO HISPANIARVM REGI, &c.
*Ludouicus ab Auila & Zunniga*
S. P. D.

QVemadmodũ ii qui ad Principem donaria deferunt, Clementiſs. Cæſar, ex omni ſupellectile, quæ largiantur, conſuerunt pretioſiſsima quæq; deligere, ſic ego quoq; partem rerum abs te geſtarum in breue compendiũ narrationis contractam, ceu munus Maieſtati tuæ offero, quo neque maius aliud neq; pretioſius inueniri queat. Totius hiſtoriæ ſeriem præclaris ingeniis fœliciore ſtylo condendam relinquo. Quanuis autem hęc narratio mea non tam latè diffuſa ſit, quin acceſſione noua poſſit amplificari, vera tamen adeo & ſuccincta eſt, vt vel minima quaque parte detracta, ſcriptoris fides & auctoritas eleuentur. Lege igitur clementiſs. Cæſar libellum hunc & immortali Deo nobiſcum vnà gratias age, tu quòd eius beneficio MAXIMVS es, quodq; magis eſt, maximus eſſe promereris: nos verò quòd in ſummum Chriſt. orbis commodum, nobis te Dominum dedit. Non minus enim Maieſtatem tuam iſtius rei nomine, quàm huius nos Opt. Max. Deo debere fatendum eſt.

SEPTENTRIO.

OCCIDENS.




MERIDIES.

TENTRIO.




ORIENS.

MERIDIES.


INGOLSTADIVM
CÆSARIANI
CASTRORVM.
DISPOSIT. QVÆ CA
ROLVS. V. CÆS. AVG.
ET SMALCALDICI
AD INGOLSTADIVM
HABVERE. AN. 1546.


SMALKALDICI

LVDOVI
ET ZVNNIGA
à Carolo V. C
liber prior
g

I S i
ſta
inu
tio
tus demiſſam
tur, quàm vllo
lio poſſe iuua
quo omnis ſu
vndique diffi
nulla neque v
ri poſſet quo
reretur. Vt c
plurimæ & a
ficiundo neg
tinerent, con
nem minuen
liqua erat, qu
ſpacio ægrè
& animorun
crederentur
periculi ac d

# LVDOVICI AB AVILA ET ZVNNIGA, DE BELLO GERMANICO *à Carolo V. Cæs. geſte, commentariorum liber prior, Gulielmo Malinæo Brugenſi interprete.*

IS iam erat rerum Germaniæ ſtatus, vt indies Proteſtantiũ inualeſcente potẽtia, præſentiorem aliquam opem cœlitus demiſſam deſiderare potius viderentur, quàm vllo humanarum virium auxilio poſſe iuuari. quum is præſertim, in quo omnis ſubſidii ſpes poſita erat, tot vndique difficultatibus premeretur, vt nulla neque via neque modus excogitari poſſet quo tam imminẽti malo occurreretur. Vt enim erant ciuitates quamplurimæ & ampliſsimæ, quæ in eo conficiundo negocio principem locum obtinerent, controuerſiis per diſceptationem minuendis perexigua ſanè ſpes reliqua erat, quum longo etiam temporis ſpacio ægrè ac difficulter ad æquitatem & animorum concordiam adduci poſſe crederentur. Vim autem facere maioris periculi ac difficultatis res viſa eſt, quòd

inter eas mutuo percuſsi fœderis tanta erat firmitas, vt vel apud potentiſsimos quoſque ac firmiſsimos totius Germaniȩ populos gratia, auctoritate, & potentia, Lutheranica factio quàm plurimum valeret, præterquam apud Cleuenſes & Bauaros, quorum illi quidem à noua religione longius abeſſe videntur: hi verò licet veterem & orthodoxam amplexi, tamen ita ſe comparabant, vt & catholicis & Lutheranis ex æquo fauere viderentur, tanquam neutrarum partiũ ex profeſſo ſectatores. Reliqua Germania omnis (præter ciuitates aliquot liberas Imperiales, quæque in fide & clientela Ferdinandi Regis oppida erant) aut in Smalcaldicum fœdus, quod à loci, in quo ictum eſt, nomine ſic vocabatur, tranſierat, aut Lutheranicæ factioni ſeſe iam palam addixerat. Ciuitates catholicæ, quæ cæteris amplitudine & dignitate præſtabant, Maguntiacum, Colonia, Treuiri, Aquiſgranum, Mediomatrices erant, & præter has paucæ item infirmiores. Fœderatarum verò Auguſta, Vlma, Argentoratum, Francofor-

dia,

dia,Lubecum,Hamburgum, Brema lon
gè principes erant. Norimberga, Nor-
linga,Rotemburgum, aliæque permul-
tæ quarum numerus maior eſt, quàm
vt hic mihi ineundum duxerim, quan-
quam Lutheranorum hæreſin ſeque-
rentur, in Smalcaldicam tamen pactio-
nem non venerant. Harum igitur par-
tium viribus, Imperii totius æſtimes
potentiam & robur conſtare. Cæte-
rum è Germaniæ Principibus, Rex Fer-
dinandus, Bauarus, Cleuenſis, & no-
biles plerique ſoli nec fœdere nec no-
ua religione obſtringebantur. His ita
cōſtitutis, Lutherani quòd crebra quo-
que noſtrorum defectione non ſolum
domi, ſed apud exteras etiam natio-
nes ſuſpectis amicitiis largiter poſſent,
eò tandem veſaniæ proceſſerant, vt
facta coniuratione nobilitatis & ciui-
tatum, audacter inter ſe conuenticu-
la conuocarent, contraque leges & om-
nia vetuſtatis exempla, nouo ſcilicet
imperio deſignato, nouis quoque re-
bus ad id neceſſariis flagitioſè ſtude-
rent, quibus modis non Cęſaris tantum

& Imperii maieſtatem minuerent, ſed Chriſtian. Reipub. quoque exitium admolirentur.

Cæſar eo tempore erat in Belgis, conſtituebatq́ nonnulla quæ conducerent ad eius regionis tranquillitatẽ & vſum. Quibus ex ſententia confirmatis per Sycambrorum & Menapiorum fines, qui nuper pacati erant, in Germaniam ire contendit, peractisq́ prius Traiecti conuentibus Aurei velleris, & Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Flandriæ Principum aliquot noua lectione ſodalitio aucto, quũ Traiectum ſuperius perueniſſet, quod eſt ad ripam Moſæ ſitum oppidum, plerique Germaniæ principes & ciuitates legatos ad eũ miſerunt, leuiore quadam fama & incertis rumoribus permoti quos inter ſe ſparſos dicerent, Cæſarem quàm maximis equitum & peditum copiis in Germaniam iter habere. Hi reliquo ſermone confecto, cuius rei cauſa venerant, conſuetudinem itineris noſtri perſpiciunt, nec præter illas equitũ turmas quas è Belgis in Germaniam Cæſar proficiſcens, cuſtodiæ ſuæ cauſa cir-

cum

cum ſe habere cõſueſſet, vllum militum præſidium ſubſequi. Qua re animaduerſa, depoſitaq; pauliſper opinione illa ac metu quem ex rumoribus atq; auditionibus concepiſſent, dimiſsi ſunt. Cæſar Traiecto diſcedens, relicta ſorore Pannonum regina, quà proximũ iter in Germaniam per Leodiorum & Lucemburgenſium fines erat, cum quingentis equitibus cataphractis Rhenum ſuperare cõtendit. Eo quum poſt iter dierum aliquot perueniſſet, ſuſpicione illa, quæ Germanorum animis prius inſederat, nondum etiam ita conuulſa, quin multis ac iuſtis de cauſis maiorem aliquem eius prouinciæ motũ expectaret, tamen pro magnitudine imperii & exiſtimationis ſuæ, quidlibet ſibi audendum putauit, ac nihilo ſecius Spiram, vt antea cõſtituerat, ingreſſus eſt. Ibi quum eſſet ad dies aliquot moraturus, venerunt ad eũ officii & amicitiæ cauſa Palatinus & vxor Cæſari à ſorore neptis. Venit & Philippus Cattorum Princeps, vterque nimirum, vt pro ſuo arbitrio de rebus vel publicis vel priuatis cum eo agerẽt:

ille de communi totius Germaniæ con-cordia, hic verò vt in ea occaſione ten-taret quicquam, quod ſibi ex vſu fore iu dicaret. Palatinus vbi ad negotia ſua pa rum experiretur oportunitatis, neque Lantgrauius in Cæſare deprehenderet animum qualem fortaſſe bene ſperaue-rat infectis iis quæ agere deſtinauerat, vterque diſceſsit. Palatinus paucis poſt diebus Smalcaldico fœderi ſeſe adiun-xit. Cæſar interea Spiræ diebus omnino quinque conſumptis, Rheno ſuperato, eam Germaniæ partem, quã vulgus ho-die Sueuiam vocat, percurrens, Dano-uertum venit, hinc profectus Ingolſta-dium atque inde Ratiſponam, vbi ab an no ſuperiore conuentus erant indicti.
Cognito Cæſaris aduentu, per legatos qui à Principibus ac ciuitatibus eo con-uenerant, de Rep. Chriſtiana & ſummis imperii rebus cœptũ eſt agi. Dum hæc Ratiſponæ geruntur Ferdinãdus Rom. Rex duas filias elocauit, Annam natu grandiorem Alberto Bauaro, Mariam alteram Gulielmo Cleuenſium Princi-pi. Accingor quàm poſſum ocyſsimè, ad

bellum

bellum ipſum à Cæſare in Lutheranos ſuſceptum: quorum vireis iam auctiores erant, quàm vt vllus ad incrementum locus relinqueretur. Nec ſanè viſum eſt quę vel ante belli huius initium acciderint, vel quæ ſpectent ad cauſam & ſtatũ religionis, operoſius exactiusq́; perſcribere ſingula: huiuſmodi enim ad eos magis pertinere videntur qui accuratiore diligentia hiſtoriam vniuerſam conſcribendam ſuſceperint.

Ego hîc mihi nil adiiciendum ſtatui, præter id quod oculari certaq́; fide teſtari poſſim.

FOederi Smalcaldico deuoti Principes & ciuitates non obſcurè iam ſignificare videbātur nihil earum rerum confectum iri de quibus agere Cæſar inſtituiſſet. Commouerat enim eos non parū, quòd intelligerent præcipuè hoc illi curæ eſſe vti res in eum ſtatum deduceretur, qualē & verus cultus Dei, & Reip. Chriſtianæ tranquillitas, & muneris ipſius, quod ſuſtineret, maieſtas manifeſtò viderentur expoſcere. Siquidem quo maturius poſſet conata perficere, tribunos & centuriones aliquot Ratiſponam ad ſe clanculum euocarat, & quanuis ita exiguus ad tam arduum ac difficile bellum apparatus perfacile cælari potuiſſet, reſciuere tamē qui aderant à Principibus & ciuitatibus oratores: adeò in iis ad ſagacitatem nulla aut facultas aut induſtria deſiderari queat. Itaq; quum frequentes ad Cæſarem conueniſſent, petierunt fieri ſibi cum eo colloquendi poteſtatem, habere ſe quaſdā res quas è communi conſenſu ab eo petere vellent: harum hæc erat ſumma. Intellexiſſe ſe tribunos militū & præfectos

ctos

ctos ab eo accerſiri per quos in Germa-
nia delectus habeãtur, magnopere ora-
re ſe & cupere certiores fieri, num arma
capiat, & quibus id bellum moueatur,
ſeſe paratos eſſe imperata facere, cõm-
meatu & frumento cæteriſq; rebus quæ
ad bellum vſui eſſent, iuuare, quemad-
modum ſuperioribus temporibus ſedu
lò ſemper à ſe factum eſſe docere poſ-
ſint. Ad ea Cæſar paucis reſpondit, iu-
bere quidem ſe militum cohortes ali-
quot ſcribi, quibus rebellium quorun-
dam inſolentiam & contumaciam com-
peſcat, & quas mererentur, pœnas exi-
gat. Porrò hinc ſeſe ſuorum animos ęſti
mare velle, vt quorum opera & auxilio
ad id bellum vſurus ſit, beneficio eos itẽ
ac liberalitate ſua proſequatur, fore
quoque vt optimum Imperatorem &
(qui peculiaris apud illos loquendi mos
eſt) benignum in ſe dominum experian
tur. Contrà qui feciſſent, eodem pror-
ſus habiturum ſe loco, quo hoſtes ipſos
in quos id bellum ſuſciperetur. Hoc re-
ſponſo accepto legati à Cæſare diſceſ-
ſerunt, ac non ita multo pòſt domum

quiſque ſuam vnde venerat, reuerſus eſt. Hinc initium factum eſt totius belli, de quo ita ordine dicturus ſum, vt quantum memoria ſinet, nihil quod vel ad fidem rerum geſtarum, vel ad lucem pertinet, ſim prętermiſſurus. Nō abs re autem fore videtur, ſi paucis prius edoceam, quibus in locis Cæſar reliquusq; ad expeditionem apparatus eo tempore fuerit quo primum belli fama euulgaretur. ne quis ignoret animi obfirmationem ipſo periculo nihilo inferiorē fuiſſe, id quod vel quilibet facile percipiat ſi hoſce commentarios penitius introſpexerit. Cæſar itaque tunc erat Ratiſponæ (nam eò Germaniæ conciliū conuocauerat) hæc eſt liberarum ciuitatū, qua Auſtriam ſpectant, ad Iſtri ripam extrema. Ampla eſt, antiqua & nobilis, comitiis habendis perquàm accommoda, intra Bauariæ fines comprehenſa, Lutheranicæ factioni addicta, ab Auguſta octodecim, ab Ingolſtadio nouem miliaribus diſtans. Ab ea per aduerſum Danubium, ad Coloniam Agrippinam & Vbios qui pertinent ad inferiorem par-

tem

tem fluminis Rheni, reliquę Germaniæ prꝑter Prꝑſules aliquammultos, pleroſque vicos, & oppidula ignobiliora, Lutheranorum factio principatum obtinebat. Cui ſi quæ etiam ciuitates nõ eſſent adiunctę, vel metu amittendę libertatis, vel ſpe conſeruandę inductæ tam hoſtibus quàm Cæſarianis commeatũ ſubminiſtrabãt. Bauariæ Princeps tam cunctanter gerebat omnia, vt multum diuq; in ancipiti conſilio verſaretur. Quæ ſanè dubia cunctatio, viſa eſt tanti belli non mediocriter auxiſſe difficultatem. Siquidem per eam factum eſt vt quęcunque ad bellum eſſent neceſſaria, toto ferè menſe ſerius compararentur. Neque hoc ſolum Cæſari ad incipiendi belli celeritatem impedimento fuit, verumetiam quòd fratrem Roman. Regem negotiorum magnitudo, cui eſſet implicitus, diutius omnium expectatione ſit remorata: quũ tamen eius aduentus tanto optatior fuerit ac magis neceſſarius, quanto maioris momenti res erant de quibus cum eo eſſet agendum. Accedebãt ad hæc incommoda &

alia pleraq; nihilo leuiora. Deſiderata enim eſt in Pontificiis procuratoribus & miniſtris Eccleſiaſticiſq; præterea nõnullis, ſilentii fides. Hi ſtudiis & animi impotentia victi, aut aliis fortaſſe rebus permoti, vt, quę agerentur, tacerẽt, imperare ſibi non potuerunt. Quo factum eſt vt cõſilia noſtra omnia, hoſtibus prius enunciarentur, quàm ad Cæſaris amicos perferri poſſent, aut earum rerum quicquã, quas belli fert neceſsitas, comparari. Nam nec è Germanis militibus quos militari ſacramento Cęſar obſtrinxerat, quiſquam ad ſigna cõuenerat, nec Hiſpani quos principio tumultus euocauerat, è diuerſis præſidiis vnde deducti ſunt, caſtra mouerant, nec militũ qui à Pontifice ex Italia mittẽdi eſſent, ne facta quidẽ conquiſitione aut datis nominibus, cœptus erat haberi delectus. Vna igitur erat Cæſaris animi virtus & fortitudo, & ſolæ vires eorum qui in Germania rebus ipſius fauerent, in quibus robur omne noſtrum, & ſpes ſalutis viſa eſt conſiſtere.

Omnium qui vel de bello conſilia ini

rent, vel coacta manu ad arma concurrerent, Auguſtani fuère primi. Nulla tamen facta ſignificatione contra Cæſarē hęc ſeſe moliri, quum eodem etiam tempore, quoslibet eius aulicos, & clientes, oppido mœnibusq́; non prohiberent, quin liberè vel arma ſibi pararēt, vel parata coëmerēt. Interea dum hæc geruntur, Cæſar copias vndiq; omnes ex nouis delectibus nuper in Germania habitis, ad ſe cogi iubet per pedeſtrium copiarum præfectos. Ii erant omnino quatuor. Illiprandus Madrucius, Cardinalis Tridentini frater, iuuenis ſtrenuus, ſummo loco natus, florenti ætate & gratia, & cuius inter Germanos virtutis opinio erat ſingularis. Georgius â Regenſpurg, homo fortis, veteranus, rei militaris peritus, magnæ inter ſuos habitus auctoritatis, cuius opera fideli & vtili Cæſar ſuperioribus annis in Italia & Gallia aſsiduè vſus, multa prælia ſecunda fecerat. Schamburgius, & Marignanus, hic officio tormentario & machinis bellicis erat etiam præpoſitus. Ab horum ſingulis millia peditum quatuor

con-

conſcripta, Cæſar more & exemplo ve-
teris Germanorũ diſciplinæ in duas le-
giones cõtraxit, in alteram à Madrucio,
à Georgio alterã accepto nomine, Schã-
burgii & Marignani conflatis cohorti-
bus, aliiſq; decem quas Bauari Principis
nothus collegerat, in eaſdem poſtea le-
giones diſtributis. Summa igitur totius
Germanici peditatus, cohortibus quin-
quaginta conſtabat. Pręter has expecta-
bantur è Pannonia Hiſpanorũ duo mil-
lia & octingẽti, quos duceret Aluarus à
Sanda, nobili genere natus, fortitudinis
& belli gloria clarus, è Gallia Ciſalpina
eiuſdem gentis millia tria, per Arzium
tribunum, ſingularis animi & prudẽtiæ
virum conducenda. Ioannes â Branden
burg Electoris Principis frater, & Alber
tus conſobrinus, confeſtim ad equitatũ
ſcribendum dimittuntur. Ille vt bis mil
le quingentos, quorum pars aliqua Ma-
ximiliano Archiduci attribueretur, hic
vt ſexcentos equites conficeret: mille
itẽ Pruſſus Teutonici ordinis magiſter,
quadringentos Ericus Iunior Brantſui-
cenſis, Maximilianus Hungariæ Prin-

ceps ad mille quingentos. His rebus ita conſtitutis Cæſari ad equeſtres copias in vnum locum cogendas magnam diffi cultatē afferebat, quòd tā diuerſis Germaniæ locis longóq; diſsitis interuallo cōpararentur, mediúmq; inter eas & ſtatiua noſtra, maximū eſſet & firmiſsimū hoſtium robur, vt paulò poſt demōſtrabitur. In Italia Pontifex iam per duces ſuos ſcribebat exercitū, quem ex pacto erat Cæſari miſſurum pollicitus. Tota Flandria delectus acerrimi habebantur, miſsis cum imperio ad Maximilianum ab Ægmonda Comitem Buranum nunciis, vt cum decem peditū millibus, tribus equitum, q̄ maximis poſſet itineribus in Germaniam properaret. Equidē omnes hæ copiæ in vnum collectæ facile pares erāt, quæ vel cū quauis hoſtium manu prælio decertarēt: at quum eſſent è tam longinquis & variis locis acerſendę, fieri nulla ratione poterat, vt ſeparatim auderent cum coniuratis confligere, quorum tāta iam erat ad bellum inchoandum celeritas, vt quum præter Hiſpanos ex Hungaria vocatos, equites

ſeptin-

ſeptingentos Germanos, duo peditum millia quæ ſub Madrucio, tria quæ ſub Georgio mererent, nulli prẹterea ad Cẹſarem conueniſſent, repente ex Auguſtenſium agro cum duabus & viginti ciuitatis illius delectorum ciuium, quatuor Vlmenſium, ſex Virtembergenſiũ cohortibus, magno equitum numero, octo & viginti tormẽtis bellicis egreſsi, ad occupandam Cluſam ſingulari militum ſtudio & alacritate contenderent. Iam enim crebri ad eos rumores afferebantur. Pontificis copias ſuperatis Alpibus Germaniam inuadere: & quum exiſtimarent, homines inimico animo ab iniuria & maleficio non temperaturos, quos domo ſua eo conſilio exiiſſe vulgo dicerent, vt populationibus, ferro, & incendio Germaniam totam vaſtarent atq; diriperent, obuiã ire & itinere prohibituros oſtendunt, per ſimulationem & cauſam depellendæ à ſe tam nefariæ crudelitatis & communis patriæ luctuoſiſsimæ calamitatis. Nam vt contra Cæſaris auctoritatem ne minimum quidẽ tentarent nullo ſe conſilio poſſe adduci,

ci,tantum abeſſe, vt vel eius maieſtatem imminuerent, vel perduellionis rei ad arma deſcenderent. Volui autem & è chorographia aliquid adiicere, quo res ipſa lectori ſit dilucidior. Erat omnino iter vnum, quo itinere ex Italia in Bauariam exercitus profecturus, per Tridentũ & medias Alpes ad Oenipõtem perueniret. Hinc in duo diſſectum in Bauaros ducit vtrunq;, alterum ſecundo flumine Oeno per Cofſtanum Tirolis oppidum egregie & oportune munitum: alterum, quod Rhœtiæ primæ propinquius eſt, per mediam inter Alpium ramenta conuallem, ad cuius fauces Cluſa arx eſt, quam ſupra monſtrauimus, natura loci munitiſsima. Proxima huic Fieſſa, ad Lycum amnem, paret Cardinali Auguſtano, nec ita longo interuallo abſunt ciuitates fœderatæ duæ, Campidonum, & Memminga quæ in pactionem Auguſtana confeſsione ſancitã tranſierant. His igitur de cauſis primum omnium accidit, vt coniurati Cluſæ expugnãdæ, & inchoandi belli conſilium caperent, magnopere enim ſibi præcauen-

dum exiſtimarunt ne arx ad Alpium radices natura loci ſic munita,vt maximã & ad hoſtes à Germania excludendos,& ad ducendum bellum daret facultatem, ea à noſtris teneretur. Sebaſtianus Schertelus erat quem omnibus his quas ſupra memorauimus copiis imperioq́; pręfecerant. hunc aiunt Cæſaris olim ſtipatorem fuiſſe, & in direptione vrbis Romæ, commilitonibus menſam habuiſſe venalem,proximo autem Gallico bello quod in Leucis geſtum eſt,inter Germanos milites iuri dicundo præfuiſſe. Quibus opibus ac neruis vſque adeò eius apud plebem gratia,apud nobiles & magiſtratum dignitas eſt amplificata,vt frequentiſsimo ſenatus & pop. Auguſtani ſuffragio, ſumma imperii belliq́; huius adminiſtrandi & tunc ei permitteretur, & pedeſtribus copiis omnium earum ciuitatum quę à Cæſare defecerant, communi conſilio poſtea præponeretur. Is itaq; ſuos mirificè cohortatus, quum docuiſſet quãtopere communis ſalutis intereſſet,manus hoſtium diſtineri, pręcipuè autem Italos Germania prohiberi,

celeriter caſtra mouit,& Fieſſa defenſo=
ribus vacua ex itinere capta, quum Clu
ſam perueniſſet, milites qui in præſidio
erant,obſidionis labores & pericula ve=
riti,priuſquam agger iaceretur, aut mœ
nibus tormẽta admouerentur, deditio=
ne facta in hoſtium poteſtatẽ venerunt.
Non deſunt qui arcis præfectum prodi=
tionis inſimulent,at ego hãc rem Ferdi=
nando Regi diſcutiendã relinquo, in cu
ius ille cliẽtela & fide erat. Interea dum
hæc agerentur, circiter quinq; Germa=
norum peditũ millia quos Madrucius
& Marignanus conſcripſerant,fortè ac=
cidit, vt circa eadem illa loca verſaren=
tur: nam reliquos Cæſar Ratiſponæ ad
corporis ſui cuſtodiã & vrbis præſidiũ
habebat. Horũ voluntatẽ magnũq; pu=
gnandi ſtudiũ, licet duces ac tribuni co=
gnoſcerẽt,cũ tãta hoſtiũ multitudine ta
mẽ,niſi æquiore loco & velut explorata
victoria, dimicandum non exiſtimabãt,
neq; enim abſente eo qui ſummam im=
perii teneat, rem in tantum periculum
oportere deduci, præſertim iniquitate
conditionis perſpecta, quũ data alioqui

vel ſumma oportunitate in hoſtium fu-
ga,tamen & ſecundo prçlio non ita ma-
gnum momentum cõſiſteret,vbi nume-
roſiſsimę ac validiſsimę coniuratorum
copię incolumes adhuc ſupereſſent. Vi-
cit hæc ſententia potior, & celeriter in-
de profecti ad Cæſarem iter conuertũt.
Eodem ferè tempore & Georgius à Re-
ghenſpurg cum cohortibus quas in Vl-
menſium finibus coëgerat,Ratiſponam
peruenit.

Hoſtes arce Cluſa potiti,quũ ad ſpem
conficiũdi negotii maxime pertineret,
Oenipontem capere & firmiore aliquo
præſidio munire,quòd intelligerent lo-
cum illũ ad omnia ea quæ ſupra demon-
ſtrauimus itinera occupanda, vſq; adeò
oportunũ,vt prorſus inde Cæſarẽ com-
meatu,milite,& pecunia,quæq; ex Italia
petenda eſſent, omnibus intercluderẽt,
maturandum ſibi ſtatuunt eò proficiſci.
At ciues & qui oppido præerãt,ita ſe re-
bus omnibus inſtructi ad bellum paraue
rant,vt ſeptẽ aut octo dierum ſpacio,cir
citer duodecim militum millium manu
coacta,quæ ad oppidi & regionis defen-
ſionem

ſionem Caſtelaltus conduxerat, illos rebus deſperatis ab incepto deſiſtere & retro pedem referre coëgerint, collocatis prius in arce & Fieſſa prȩſidiis. Is Caſtel altus reliquos ferè Germaniæ prȩfectos & ordinarios ætate ac rerũ vſu antecedebat, Ferdinãdo regi neceſsitudine & cliẽtela deuinctus, qui poſtea tẽporis & belli progreſſu, Cluſã cũ laude recepit.

Quum eo ſtatu res eſſent, interea Cæſari renũciatur Põtificis auxilia, & quos ex Inſubribus euocaſſet Hiſpanos, iam in itinere eſſe: quos verò è Neapoli Alphonſus Viues adduceret, homo ſolers ac diligens, nactos idoneam ad nauigandum tempeſtatẽ ex Apulia orã ſoluẽtes in Carnos curſum dirigere, vt in ea poſtmodum regione circa Trigeſtum & Natiſonis fluminis oſtia expoſiti, reliquo terreſtri itinere cõfecto, per Noricas Alpeis Ratiſponã ad Cæſarẽ peruenirent. Hoſtes à ſuperioribus conſiliis & ſpe potiundi Oenipontis depulſi, vbi Coſſtanum quoqȝ à quadringentis Hiſpanis occupatum cognoſcerẽt, Auguſtam re infecta reuerſi ſunt. Ea quidẽ expeditio, ſi

Schertelo ſecunda ceſsiſſet, poterat ad ſummam rei magnum illis momentum adferre. At multo conſultius feciſſent, ſi (quod poſtea demonſtrabitur) Auguſta profecti, nulla itineris mora iniecta, directò ad Cæſarẽ contendiſſent. Is tum rebus omnibus imparatiſsimus, erat Ratiſponę, expectabatq́ copiarum & auxiliorum aduentum. Vnus enim ipſe, & ſola nominis, quod plurimum in Germania poteſt, Auguſta maieſtas, quum tormentorum & militũ ſumma inopia eſſet, muri erat & exercitus loco. Hæc prima eorum perturbatio fuit & error, in quẽ vel ducis culpa, vel conſiliorũ vitio incogitanter ab iis offenſum eſt.

His ita conſtitutis Saxo & Heſſus ad Cæſarem literas dederunt quarum hic tenor erat & argumentum. Audire ſe ei in animo eſſe rebelles quoſdam & facinoroſos vlciſci, qui ſeditione & tumultu Germaniam perturbarent, cupere ſe ex eo cognoſcere, quinam ſint in quos ita grauiter vindicandũ ſtatueret, velle ſe quidem in officio permanere, & ſuis copiis ſuoq́ exercitu illi in eo bello pręſto

ſto adeſſe. Sin verò ipſi iraſcēdi in ſe, & armorū cauſam aliquā præbuiſſent, paratos eſſe ſui purgandi cauſa lege agere, & omnibus rationibus de iniuriis ſatiſfacere. Ad eas literas Cæſar nihil reſpōdit, ſilentium ipſum reſponſi loco æſtimās, quo tali petitioni abundè fieret ſatis. iam enim illi ſimul conuenerāt dum hæc ad Cæſarem ſcriberent, & omnem operam dabant, vt vniuerſus exercitus in vnum locum conduceretur, cuius maiorem partē circa ſe coniunctam habebant, dimiſsis etiam ad fœderatas ciuitates quoquouerſus nunciis, qui perſuaderēt, vt è finibus ſuis cū iis quas in cōmuni Germaniæ cōcilio ad id bellū ſingulę pollicitæ eſſent copiis confeſtim exirēt. Schertelus quoq; cū ea manu quā prius ad Oenipontem expugnandum eduxerat, Auguſta profectus, ſex miliariū confecto itinere Danouertum venit, quod aduerſo Danubio quatuordecim miliaribus abeſt à Ratiſpona. Is locus erat ad bellum adminiſtrandum non minus idoneus, quàm Germanicè vox ipſa ſignificat, vtpote Danubii defenſionem.

Ciuitas eſt imperialis, libera, ante annos aliquot iuncta Lutheranis & fœderatis. Schertelus oppidum ingreſſus expectandum ſibi eo loco ſtatuit, dum cum Saxone & Heſſo copias ſuas coniungeret, nō ignarus quantis ibi cōmoditatibus vteretur, quas ad annonā cæteraq́; neceſſaria conuehenda præberēt Danubius & Lycus. Hic Auguſtam præterfluens Sueuiam à Bauaria hodie diuidit & pro veteris geographiæ ratione, Vindeliciam à Norico. Illum verò ex monte Abnoba non lōge à Rhœticis Alpibus & Rheni fluminis fontibus ortum, pingues Vlmenſium campi excipiunt. Qua de cauſa, re frumentaria quoq; expeditiore & cibariorum vberiore copia Schertelus abundabat, quòd Vlmenſiū finibus proximi ſunt Virtembergenſes, quorum agri, cultus & copiæ, cum quauis Germaniæ regione de laude bonitatis & præſtantia facile queant contendere. Poſtquam ad Danouertum per dies aliquot Schertelus conſediſſet, Saxo & Heſſus, ad quos imperii ſumma redierat, eodem cum omnibus copiis quas Principibus

&

& ciuitatibus imperauerãt, conuenêre. harum omnium ſumma erat, peditum millia circiter octoginta, equitum circiter decem, tormenta bellica cẽtum: quo tempore Cæſar præter eum quẽ demonſtrauimus militem, nullum apud ſe Ratiſponæ haberet, nec bombardas amplius decem, quas ex armamentario publico à ciuitate vtẽdas accepiſſet: nondum enim, quas ex Auſtria expectabat, Danubio flumine erãt ſubuectæ. De auxiliorum autem aduentu, & militum ſuorum feſtinatione, ex fama & nunciis hęc ferè cognouerat. Hiſpanos è Neapoli & Inſubribus accerſitos, & Pontificias copias iam aduentare, his quoq; Lanoium Sulmonenſiũ Principem cũ ſexcẽtis equitibus leuioris armaturæ quibus erat præpoſitus, in itinere ſeſe iunxiſſe, tormenta bellica flumine aduerſo è Viẽna conuecta non procul abeſſe, delectus quos Schamburgio mandauerat, ad Syluam nigram, quæ Herciniæ caput eſſe putatur, iampridem eſſe confectos. Magna nihilominus ſolicitudine afficiebatur qua ratione cohortes illæ ſine certami-

nis periculo Ratiſponã venire poſſent, quum proximum omnium iter eſſet per Vlmenſium fines, cuius ciuitatis longè ampliſsima auctoritas inter hoſtes erat, & Virtembergenſium agrum, quorum Princeps coniuratos omnes præter Fæ=dericum Saxoniæ Principem, opibus & potentia ſuperabat. Quibus de cau=ſis accidit vt longiore quidem itineris diſpendio, ſed tutiore, à lacu Conſtan=tienſi per Tirolenſium valles poſtea cir cumagerentur. Quæ tamen omnia, quũ ſine diuturniore temporis mora confi=ci non poſſent, ſummam Cæſari difficul tatem, hoſtibus verò qui tam in propin quo erant, magnam dabant rei bene ge=rendæ occaſionem. Nam ſi tantis viri=bus & tam horrendæ potentiæ recta cõ=ſilia, ſolertiam, & celeritatem aliquam addidiſſent, nullaq́ꝫ interpoſita dubita=tione imparatum Cæſarem Ratiſponæ fuiſſent adorti, quum frumenta, com=meatus, milites, arma, tormenta, deniqꝫ rerum neceſſariarum omniũ vſus & co=pia deeſſent, oppidũq́ꝫ munitionis ope=re & præſidio infirmius eſſet, quàm vt

ei ſalutem ſuam in obſidione perferen=
da conſideret,ad cuius duriorem condi=
tionem & pericula non erat illi ratione
vlla deſcēdendum,quandoquidem nul
lum aliunde ſubſidium expectaret, præ=
ter aduentantes ac tam diuerſis itineri=
bus diſperſas auxiliares copias,meo qui
dem iudicio abſque vllo labore aut præ
lio in tam arctam eũ neceſsitatem com=
puliſſent, vt Ratiſpona relicta cogitan=
dũ etiã fuiſſet qua ratione tutiſsimè poſ
ſet omni Germania excedere. id quod
illis perfacile factu erat, vbi à tergo om=
nia tuta relinquerēt,neq; vllus eſſet ho=
ſtis qui moram vllam aut impedimen=
tum iniiceret, præter vnam Germano=
rum cohortem, Raniæ Bauarico oppi=
dulo non procul à Danouerto in ſtatio=
ne locatam, & præſidiarias duas quibus
Ingolſtadii præerat Petrus à Guzman
Hiſpanus,homo nobilis,& in familiam
Cæſaris iam olim adſcriptus. Nam qui
à Principe Bauaro miſsi erãt vt hoſtē ar
cerēt,aut ſi qd durius accideret, fortiter
oppidum tuerentur, ita prorſus anima=
ti videbãtur, vt hoſtibus nõ admodum

graue

graue detrimentum ſeſe illaturos oſten-
derent. Itaq;, quæ multorum eſt ſenten-
tia, non modo rei gerendæ facultatem,
ſed incredibili fortunæ beneficio rem
ipſam iam factã ſegniter & ocioſè præ-
termiſerunt. atque hic ſecundus eorum
eſt error nobis non minus vtilis, quàm
illis ferè pernicioſus, q̃ Ratiſpona negle-
cta quò ſumma contentione proficiſcẽ-
dum erat, ad præſentem fortunam ſatis
eſſe duxerint Raniæ pulſo præſidio, &
cum ſignis militaribus, armis & impedi-
mentis incolumi dimiſſo, è ſuis cohorte
vna ad loci defenſionem relicta, ad Neo
burgum conſiſtere, iuxtaq; murum ca-
ſtra ponere. Id oppidũ poſsidebat Otho
Henricus, ex illuſtri & vetere Palatino-
rum ac Bauariæ gente, in fœderatorum
fidem & amicitiam receptus, poſitum eſt
edito loco, natura & opere egregiè mu-
nitum, qua ſeptentrionem ſpectat, Da-
nubius alluit ſublicio ponte conſtratus,
medio inter Ingolſtadiũ & Danouertũ
itinere. Interim Ferdinandus Ratiſpo-
na profectus Pragam peruenerat, vbi cũ
Duce Mauricio, vt à Cæſare conſtitutũ

erat,rationes belli communicaret,quod in Fædericum Electorem concitaretur. Is Mauricius è Saxonicæ gentis Principibus vnus eſt. nam pro veteri Germaniæ conſuetudine & inſtituto,illuſtrium domorum clientelæ & facultates quælibet,pro rata hæreditatis gentilitiæ portione diſtribuuntur in eos qui ſunt ex eadem prognati familia. Huic,& ſi Luterano,ſuperiore tempore cum Ioanne Fæderico Electore cõſanguineo ſuo continentes inimicitiæ interceſſerant, & quanuis paulò ante belli huius initium compoſitæ cõtrouerſiæ eſſent,cœpto tamen iam bello,proſcriptisq́; Lantgrauio & Fæderico, veteris illius odii ſcintillæ viſæ ſunt multo vehementius exardeſcere.Proſcriptionis autem hæc eſt conditio.Proſcriptorum oppida,vici,poſſeſsionesq́; publicantur,atque vltro omnes quos prædæ cupiditas & cõpendium ex direptis bonis inuitant,ad ſpoliandum euocantur.Hac impulſi occaſione,Rex & Mauricius cupidiſsimè & animo & opibus in id bellũ incũbũt, quod ſibi nõ minus facile q̃ vtile futurũ

exiſti-

exiſtimant, propterea quòd eam Saxo-
niæ partem quæ Electori ſorte obuene-
rat, finibus ſuis propinquã habeant, nul
lóque negotio totius Saxoniæ ſe potiri
poſſe ſperant, quam poſtea ex pacto in-
ter ſe diuidant.

Inter hæc ab exploratoribus Cæſar
certior factus eſt hoſtes de tentanda Lã-
dishuto Bauariæ oppido conſilium ca-
pere, id enim ſibi propter oportunitatẽ
loci cõmodiſsimum fore putabãt, quòd
ſitum eſſet in itinere quod Ratiſponam
ducit ab Oeniponte, nec alia vlla via eſ-
ſet quà ex Italia & Martiana ſylua mili-
tes ad Cæſarem conuenirent, propterea
quòd Cluſam hoſtes præſidio tenerent.
Quam rem ſi, vti conſtituerant, conati
fuiſſent perficere, poſt amiſſam illam ad
Ratiſponam rei gerendæ occaſionem,
nulla certe, ne optantibus quidem iis,
offerri potuiſſet præclarior. Siquidem
Landishuto capto (quod erat iis factu
facillimum) ſi eo loco conſediſſent, fu-
turum erat vt Cæſarem ipſum Ratiſpo-
næ veluti circumuallatum continerent,
Italos, Hiſpanos & Germanos ad Mar-

tianam

tianam ſyluã conſcriptos, omnibus viis occluſis aditu ad caſtra noſtra prohiberent. Sin verò cõmunito oppido, præſidioq́; militũ relicto Ratiſponã obſidione cinxiſſent, rebus tã accifis in magnas difficultates Cæſarẽ cõiecifſent. Qua re animaduerſa oĩbus conſiliis Cæſar anteuertendũ ſtatuit, vt tã euidenti periculo occurreretur, ꝗ intelligeret ſummo ſtudio id oppidũ ſibi defendẽdum eſſe, ad cuius occupationẽ hoſtes neruos & conatus ſuos omnes intenderent. Itaq; magno tormentorũ numero & bellicarũ rerũ apparatu, quẽ ex Auſtria cõportandum curauerat, impedimẽtis & ſarcinis, & quotquot valetudine aut ętate ad bellũ inutiles eſſent Rãtiſponæ relictis, quatuor Germanorũ millibus & trecẽtis Hiſpanis, quibus ſimul oĩbus Pyrrhũ Columnã præfecerat, ad cuſtodiã additis, cũ reliqua exercitus parte ſecundis caſtris Landishutum peruenit: copiisq́; pro oppido collocatis, ꝗ eas intrò recipi nollet vt à militũ iniuriis & cõtumeliis cõmodius oppidanos defenderet, his rationibus bellũ adminiſtrare & hoſtem

ibi

ibi operiri conſtituit, quò maturius au-
xiliis quæ ex Italia iam aduentabant,ſe
confirmaret.Ingolſtadiũ,vt ſupra mon-
ſtrauimus,à noſtris pręſidio vtcunq; va-
lido tenebatur : ſed quòd hoſtes iter il-
lac facturos intelligeret,de quorum ad-
uentu crebri rumores afferebantur,Cæ-
ſar oppido metuẽs, ducẽtos velites Ita-
los, ſclopetarios hodie vocant, ſummi-
ſit.Oppidani,& quæ à Bauaro venerant
præſidia, quamuis rebus noſtris ſtude-
rent ,tamen quum à fœderatorum ami-
citia nondum ſe ita auerterẽt , vt palam
hoſtes fore profiterentur,nullo vtrinq;
dato aut accepto incommodo, per fines
ſuos paſsi ſunt eos ſine iniuria & malefi-
cio tranſire. Qua re cognita Cæſar,con-
feſtim ad ſuos qui in itinere erãt, dimiſ-
ſis nunciis,docet quanto in periculo res
ſit. hoſtes enim Neoburgo diſceſsiſſe,
omnemq́; multitudinem ad ſe conuertiſ-
ſe,hortatur vt ad celeritatem ſibi nil re-
liqui faciant,in qua exiſtiment commu-
nis ſalutis auxilium eſſe ponendum. Ip-
ſe quàm æquiſsimo poſſet loco caſtris
communitis,quum ad quietem Germa-

niæ

niæ & ſalutem Imperii, rem neceſſariam fore iudicaret prælio contendere, delecto ad id idoneo loco, hoſtes ibi expectare conſtituit, vt eis, ſi vellent, non deeſſet pugnandi poteſtas. Id enim omnino decreuerat, quemadmodum frequenter ex eo audire memini, quoties de formidoloſiſsimo hoc bello ſermo incideret, aut viuo aut mortuo in Germania ſibi eſſe manendum. At Fædericus Saxo & Lantgrauius fœderatorum principes, vnius Cæſaris velut obſtupenda virtute perterriti, quum Ratiſponam vtcunque tutam præſidio & cōmeatu cognoſcerent, neque Cæſarem auxiliis, quæ expectabat, ſine prælio poſſe intercludi, animóque ipſum ad id paratiſsimo ſcirent, circa Ingolſtadium & Monacum caſtrametati, vlterius progredi non ſuſtinuerunt. Quid hoc fructu priuatæ maieſtatis excelſius? Immanem illum hoſtium furorem Cæſar ſola admiratione ſui coërcuit, & virtutis claritate occæcatos vſqueadeo obſtupefecit, vt attonitos loco ſubſiſtere coëgerit.

Dum eo ſtatu res eſſent, Ioannes Fædericus & Heſſus puerum cum æneatore ad Cæſarem in caſtra miſerunt. Quo quum perueniſſent, habere ſe à Principibus ſuis ad eum publici officii mandata demonſtrant, perductíq; in tabernaculum Ducis Albani (huic enim Cęſar pro ſumma eius virtute egregiáq; in ſe fide & voluntate, quòd in maximis quibúſque grauiſsimiſque negotiis ſingulari eius opera ſemper fuerat vſus, ſummam imperii bellique adminiſtrandi tradiderat) epiſtolam proferunt ad amentum teli deligatam. Hic vetus Germanorum mos eſt, per hos illi fœciales bellum hoſti denuntiant. Albanus acceptis literis, quum non aliud reſponſum conuenire magis oſtenderet, quàm nuncios ipſos in crucem attollere, ne tamen minus continens in vita hominum, quàm in cæteris omnibus eſſe videretur, Cæſarem ait ipſis vltro vitam concedere, atque in eos duntaxat velle animaduertere, quos tumultus & malorum omnium auctores cognoſceret, quumque proſcriptionis tabulas

bulas publicas, qua illi à Cæſare nota-
rentur, ad eos perferendas dediſſet, nul-
lis prætereа datis mandatis incolumis
vterque dimiſſus eſt. Cæſari eorum
ſcripta tanto fuêre neglectui, vt ea nec
legerit nec inſpexerit, mihi certe ſit ve-
riſimile proteruiæ & petulantiæ plena
fuiſſe, quarum rerum Lantgrauius mi-
rus ſemper eſt habitus artifex. Sub
idem ferè tempus Pontificis auxilia,
poſt longas tandem expectationes, Lan-
dishutum in caſtra perueniunt. Agmen
erat apparatu, ſpecie & delecta iuuen-
tute ſupra quàm credibile foret orna-
tiſsimum. nec memini ætate noſtra ſe-
lectiores copias vnquam ex Italia exi-
iſſe. Peditum erant millia circiter de-
cem, equites leuioris armaturæ ſeptin-
genti, quibus ſimul omnibus Octaui-
um Farneſium Cæſaris generum, Pon-
tifex auus præfecerat. Hos è Tuſcia
ducenti equites quos Princeps Floren-
tinus, & centum quos Ferrarienſis mi-
ſerant, ſequuti ſunt. Aduenerunt &
Hiſpani tandem quos ex Inſubribus,
nec ita multò poſt quos è Neapoli

vocatos docuimus, veterani omnes, ac tam præſtanti virtute, vt tribus his legionibus roboris & fortitudinis Hiſpanæ gloria ab omnibus meritò adſcriberetur. Peditatus ille ad Hercyniæ ſyluæ principium à Schamburgio factus, quanuis longiore circuitu circumduceretur, compluribus tamen leuioribus præliis ab hoſtium ſtationariis per oportuna loca diſpoſitis, laceſsitus, eodem ferè tempore in caſtra peruenit. Paulatim iam collectæ vires & copiæ noſtræ iuſti exercitus ſpeciem præſeferebant. adnumeratis enim iis quos Ratiſponæ reliquerat. XVI. peditum Germanorum millia (quanquam pro librariorum ratione. XX. millium numerus in tabulas militares referretur) Cæſar ſub ſignis habebat, Italorum verò decem, & Hiſpanorum circiter octo, ſexcentos equites haſtatos, quos per Bohemiã Ioãnes Brãdenburgenſis conduxerat, octingentos item Albertus, & Pruſſus ducentos. Reliqui enim ad ter mille quingentos, nondum flumen Rhenum tranſierant, ad cuius ripam hoſtes præſidia &

tormen-

tormenta locauerant, quo facilius no= ſtros, ſi ſe inuitis tranſire conarētur, pro= hibere poſſent. Itaque equitatus ratio= ne ſubducta, adiunctis iis quos cuſtodię ſuæ cauſa Cæſar è Belgis adduxerat, & Maximiliani Principis aulicorumq́ꝫ no bilium turmis, ſummam bis mille cata= phractorum, & mille equitum leuioris armaturæ expleuerat. Validus profe= cto vtriuſque generis equitatus, exer= citatione armorum & peritia rei mili= taris inſignis. At firmiores peditum copias maiorisq́ꝫ ſpei & opinionis vir= tutis, non facile crediderim hactenus ſub Cæſare ſtipendia meruiſſe. Om= nibus bellis interfui, neque temere in= cognitam rem pronuntio. In expedi= tione Pannonica quam Cæſar in Tur= cam ſuſcepit, pedites Germanos, Ita= los & Hiſpanos quàm diligentiſsimè lu ſtraui. in bello Tunetæo earundē gen= tium peditatum cognoui, & quem in= ſequenti anno duxit in Galliam Nar= bonenſem, deinde quem in Menapios & Sycambros ac mox in Gallos arma= uit (quo tempore ad Cambricium Rex

receptui timens, noctu, ne conclamatis quidem vaſis, ſe in regnum recepit) neque tamen eum militem qui tum erat cum hoc noſtro, è ſua quemq; natione, virtute vſu ac diſciplina conferendum exiſtimo. Idem iudicium eſt eorum qui Cæſarem per Lotharingiæ fines in Cápaniam ad Sanctum Deſyderium ſequuti ſunt, mihi non accidit vt illi bello intereſſem. Auxiliis itaque omnibus cum exercitu coniunctis quum à Landishuto Cęſar caſtra mouiſſet, & Ratiſponam profectus, deducto inde præſidio ænea tormenta XXXVI. partim campeſtria partim muralia ad vſum belli paranda curaſſet, tribus cohortibus tuendi oppidi & armamentorum cauſa poſitis, ad hoſtem contendit. Is tum circa Ingolſtadium ſtatiua habebat à Ratiſpona nouem Germanicorum miliarium interuallo, quod poſtea in quadridui iter Cæſar partitus, ſecundo die ad Neoſtadium in ripa Danubii caſtra locauit. Ex eo oppido pons ad hoſtes pertinebat, & quia exercitum traducere conſtituiſſet, ratibus compluribus factis, naui

busq́ iunctis, quarum magnam copiam in eum vſum plauſtris ſecũ aduexerat, duos præterea pontes in flumine facien dos curauit.

Ei operi dum eſſet intentus per exploratores repente nuntiatur Saxonem & Heſſum cum omnibus copiis ab aduerſa parte fluminis Ratiſponam iter habere. Equidem prudenter & rectè negotium hoc ab iis ſuſceptum eſt, at ſerò & alieno iam tempore intellectum. Cæſar eorum conſilio cognito, nulla interpoſita mora Germanorum cohortes expeditas duas, & quadringentos equites Hiſpanos leuiter ſclopis armatos Ratiſponenſibus ſubſidio mittit, magnopere cohortatus, ne neceſſario tempore, itineris labore permoueantur. Illi incredibili celeritate adhibita, ea ipſa nocte ſilentio Ratiſponam ingreſsi, aduentu ſuo ſtationarios & oppidanos confirmant. Cæſar enim ita animo circumſpexerat, vt non iudicaret opus eſſe firmiore præſidio, ſi hoſtes iter & conſilium ſuum commutarent, ſin, vt conſtituerant, oppidum oppugnare agrede-

grederentur, & quos prius ad cuſtodiã reliquiſſet, & quos iam ſummiſiſſet, facile pares fore vtroſque, qui oppugnationem & hoſtilem impetum tantiſper ſuſtinerent, dum ipſe cum exercitu ſubueniret: ad quam rem Danubius inter noſtra & illorum caſtra medius, admodum oportunam facultatem præberet. At hoſtes vel quòd ea nocte ſubſidia in oppidum recepta cognoſcerent, vel difficultatem rei frumentariæ veriti, vt ſi Cæſar flumen traiiceret, à ciuitatibus, quæ in ipſorum fide erant, commeatus & frumenta minus commodê ſupportarentur, ea ſpe deiecti; quum non longius tribus à Ratiſpona miliaribus abeſſent, omnem ſibi commutandam belli rationem arbitrati, retro ad Ingolſtadium copias reduxerunt ſummo ſtudio & celeritate connixi anguſtias viarũ, & præruptas valles euadere, in quas ducum ſuorum culpa, non ſine periculo ac temere ſe coniecißent. Poterat enim locis ſylueſtribus ac impeditis nõ leue iis detrimentum inferri, niſi celeriter contráq; omnium opinionem iti-

nere confecto, è denſioribus ſyluis in apertam planiciem prodiiſſent. Nam Cæſar, quòd loci naturam ignoraret, expeditos aliquot Hiſpanos, & equites leuioris armaturę iam ſerò præmiſerat, qui eos in anguſtiis adorirentur. Hi nouiſsimum agmen conſequuti, quum nihil ſe efficere poſſe viderēt cuius rei cauſa veniſſent, neque tam iniqua conditione & loco ſibi cum tanta multitudine dimicandum exiſtimarēt, prælio abſtinuerunt, exploratoq; diligenter hoſtium conſilio ad Cæſarem reuerſi, nunciant eos paulò obliquius ad dexteram, Ingolſtadium verſus iter facere. Cæſar biduo copiis omnibus equitatuq; traducto, in vlteriore ripa fluminis, loco caſtris idoneo capto, in colle cōſedit, duobus ab Ingolſtadio miliaribus. Cuius loci naturam, quum diligenter Albanus perſpexiſſet, tutioremq; reperiſſet, q̃ vt maiore munitionis opere egere videretur, iuſsit humiliore vallo caſtra muniri. Fuit is traiectus noſtris perquàm cōmodus & oportunus. Nam & hac ratione fiebat vt hoſtes frumentatione pabu

 latio-

lationeq́ꝫ prohibiti, minus late vagarentur, & in Cæſare pugnandi voluntatem quum res poſtularet, cognoſcerent. Eo biduo accidit vt ſuorum animos Cæſar forte periclitaretur, quid auderent & quid virtute poſſent. Falſò enim de hoſtium aduentu rumore perlato, quum ſubito clamore ſuborto, vt fert conſuetudo, ad arma concurreretur, confeſtim expeditas copias è caſtris eduxit, atque aciem inſtructam habuit. Noſtri eo erãt animo & alacritate ad dimicandum parati, vt & optimum de iis iudicium fieret, & magna in poſterum ſpes & lætitia de ſecundiore euentu conciperetur. Interea Cæſari renunciatur hoſtes in proficiſcendo tanta vſos eſſe celeritate, vt pridie eius diei quàm caſtra moueret, paſſuum circiter millia ſex intermiſſo ſpacio ſupra Ingolſtadiũ conſediſſent. Quum autem intelligeret magno cum ſuorum periculo futurum, ſi oppidum illud ab hoſte occuparetur, omni celeritate & ſtudio incitatus eò ferebatur. Totius autem rei conſilium his rationibus explicabat. Vtſi Ingolſtadium illi

contenderent, ipſe prior aduentu ſuo præoccuparet, quò expeditius aduenanti Burano ſeſe coniungeret. Sin ab oppugnatione deſiſterent, loco inter oppidum & caſtra noſtra ſupra modũ idoneo eos prohiberet, ac pari conditione belli ſecum decertare cogeret. Erat inter Italorũ principes ac belli duces, Ioãnes Bapt. Gaſtaldus homo ſtrenuus, quẽ propter magnum in re militari vſum, officio metatorio Cęſar prępefecerat. Hunc ad ſe vocat, & quid fieri velit oſtendit. In primis monet, vt quum tantopere interſit tam neceſſario tempore, tam propinquis hoſtibus, ſupra eos caſtra locare, vtriuſq; loci naturam diligentiſsimè contempletur, & eius quem iam demonſtrauimus, & alterius cuiuſdam ab altera parte oppidi qui muris erat ſubiectꝰ. Ipſe cum omnibus copiis poſtero die duplici inſtructa acie ſequutus eſt. Ratio autem & ordo agminis ita ſe habebat. Siniſtrum latus, ripa fluminis muniebat, quam ob cauſam tormenta & ſarcinas in ſiniſtro cornu, equitatum verò omnem in dextero contra hoſtem obiecerat,

cerat, pedeſtribus copiis in medium receptis. Priorē aciem Albanus ducebat, cum equitatu Alberti & Pruſsi, alteram Cæſar adiūcto ſibi Maximiliano Archiduce, Filiberto Allobrogum Principe, & Ioanne Brandenburgenſi. Germani pedites, Itali & Hiſpani, eum in acie & itinere ſeruabant ordinem, quem inſtituto & more militari Albanus iis viciſſim præſcriberet. Cæſar ad hunc modum magnam diei partem progreſſus ad eum locum venit qui circiter millia paſſuum quatuor, vt dictum eſt, ab Ingolſtadio aberat, ibiq; in cibo ſumendo pauliſper moratus, dum reliquum agmē conueniret, Albanum cum ſpeculatoribus viginti præmittit, vt loci illius trās oppidum naturā perſpiciat, Antonium à Toleto, & Principem Sulmonenſem cum parte leuioris equitatus & ducentis Hiſpanis hippoſclopiſtis, qui videāt quas in partes hoſtes iter faciant, rationesq; eorum & conſilia diligentius explorent. Hi quum propius ad hoſtium caſtra adequitarent, & leui prælio commiſſo defeſsi iam ſeſe vtriq; ad ſuos reci-

perent, magna repente multitudo ex=
tra vallum effuſa rurſus inſtare, & præ=
lium intermiſſum acriter redintegrare
cœpit. Genus erat pugnæ militum illo=
rum vt ſuos ordines diligēter ſeruarēt,
neq; à ſignis diſcederent, quum in leuio=
ribus præliis noſtri plerunq; rari ac diſ=
perſi pugnare conſueuerint, loco etiam
excedere non turpe exiſtimantes. Illi co
hortibus centuriatis ſubſidio miſsis, ſci
enter ſe ita diſtribuebant, vt alii magno
impetu, & infeſtis ſignis procurrerent,
alii ſuos venientes exciperent, & com=
modiorem tutioremq́; receptum præbe
rent. Hæc quum animaduertiſſent no=
ſtri, confeſtim ad Cæſarem nuncios mi=
ſerunt, qui dicerent hoſtem cum omni=
bus copiis in prælium ruere. Itaq; neceſ=
ſaria re coactus, quum ad eum locum re=
uerſus eſſet, in quo agmen paulò ante
ſubſiſtere iuſſerat, Albano negotiū dat
vt de hoſtium progreſſu & conſiliis con
tinenter ſe certiorem faciat. Ipſe nactus
idoneum locum, ſarcinis & impedimen
tis ad ripam fluminis conferri iuſsis, tor
mentiſq́; oportune diſpoſitis, pro ca=
ſtris

ſtris aciem inſtruit, ibiq; aliquandiu ſub
armis moratus, hoſtibus, ſi aduenirent,
facit æquo loco pugnandi poteſtatem.
Equidem, vt ego exiſtimo (pace eorum
qui rectius iudicãt) ſi ex itinere noſtros
adorti eo die prælio decertaſſent, quan=
quam æquitate loci quem ad pugnam
Cęſar delegerat, ſuperiores videremur,
rem tamẽ in dubium deuocaſſent. Mul=
tò denique die remiſſioribus iam de ho=
ſtium aduentu nunciis, quum vlterius
progrediendũ ſibi Cæſar ſtatueret, mo=
nereturq; ab Albano vt iter ſupprime=
ret, copiasq; pro vallo inſtructas tene=
ret, quòd ex multis indiciis augeretur
ſuſpicio, hoſtes protinus ex eo loco vel=
le ad caſtra noſtra oppugnanda conten=
dere, paulò poſt nunciatur omnes com=
mutato rurſum conſilio, atque itinere
conuerſo intra vallum ſe recepiſſe. Itaq;
Cæſar etſi anceps illa & perplexa nun=
ciorum varietas profectioni noſtræ non
paruam morã inieciſſe videretur, tamen
ꝙ in celeritate omne poſitum certamen
animaduerteret, vtri prius locum ad In=
golſtadii mœnia occuparent, neq; profe

ctionem

ctionem in poſterum diem differri, neq; vllum ſpacium hoſtibus ad progrediendum dari oportere exiſtimans, quorum errorē in eius diei ceſſatione manifeſto conuinceret, ad multam noctem in caſtra peruenit. Loci natura erat hæc, quē noſtri prius perſpexerant. Siniſtrū latus ripa fluminis & loca paluſtria tuebātur: à tergo quæ erāt, oppidū ipſum tuta ab hoſtibus reddebat, à dextera & à fronte, aperta planicies, ſed leuiter faſtigiata. Ab vtraq; parte hac, quū nullum nocturnum tēpus ad laborē intermitteretur, tranſuerſam foſſam & vallum Albanus ea celeritate perduxit, vt albente cœlo operis munitio penè perfecta conſpiceretur. Pleriq; exiſtimant quibuſdam de cauſis quas cōmemorari neceſſe nō eſt, ſi poſtridie hoſtes nos fuiſſent aggreſsi, detrimētum aliquod nobis potuiſſe inferri. At illis multitudine ſuorum & fiducia rei bene gerendæ tantum arrogantiæ ac ſpiritus acceſſerat, vt nō de ratione belli cogitarent, ſed viciſſe iam ſibi viderentur, vnius enim eſſe negotium diei, cui conficiundo quamlibet tempo-

ris occaſionem ſufficere. Atq; hac nimiærum confidentia Lantgrauius intumeſcens, ad principes & ciuitates fœderatas perſcriptis literis, latius inflatiusq́; promiſerat, fore vt pulſus fugatusq́; Cæſar, intra tres menſes ex omni Germania fugeret, aut captus in coniuratorum poteſtatem veniret. Quibus dictis omnium opinio ita eſt confirmata, tantaq́; fides habita, vt ad imperatam pecuniã, milites & commeatũ, pleriq; è principibus & ciuitatibus quæ ad ſocietatem fœderis acceſſerant, pleniora etiam atque vberiora adiicerent: qua potiſsimum ratione effectum eſt, vt in tantam multitudinem copiæ illorum excreſcerent, peditũ circiter octoginta millia, decem equitum, tormẽta bellica centum & triginta. Hoſtes ea nocte & inſequenti die exercitum caſtris continuerunt, equitibus duntaxat paucis extra munitiones emiſsis qui latius oſtentationis cauſa vagati, nõ cõferti, ſed rari ſeſe nobis oſtenderent. Idem Cæſar facit, & ad omnes interim caſus ſubſidia cõparat, hoſtiumq́; conatibus, qua poteſt ratione & cõſilio,

ſoler-

ſolerter occurrit. Poſtridie eius diei per exploratores certior factus, millia paſſuum ſex à noſtris caſtris Lantgrauium ſub colle conſediſſe, qualis eſſet natura loci & qualis illius collis accliuitas, qui cognoſcerent, miſit. Renunciatū eſt munitiſsimum eſſe, à fronte & dextera, palude & flumine altiore circunductum, in cuius ripa arx parua erat, quæ ab omni iniuria partem illam caſtrorū defenderet, poſt tergum ſyluam eſſe denſam & impeditam, & ad alterum latus montem paulatim ex planicie editum, in cuius ſummitate tormenta collocauerant. Inter explorandum leuiter pugnatū eſt. Sed quòd celerē illi ac facilem ad ſuos receptum haberent, noſtri prælio exceſſerunt.

Poſtero die pedeſtres copias omnes & equitatum educunt: non vt manus nobiſcum conſerant, quæ noſtra tum erat ſuſpicio, ſed militari inſtituto exercitum recenſeant, quem poſtea numero inito in caſtra reducunt. Quarto die prima luce ſigno profectionis dato, progreſsi millia paſſuum tria, in edito col-

le caſtra conſtituunt. Is locus tam erat egregiè munitus, vt natura ipſa omnem operis induſtriam ſuperaret, & quanuis aquandi anguſtiis premerentur, loci tamen oportunitate & hoſtium incommodo Cæſar inuitatus, eius occupandi conſilium ceperat, ſperans quo propius hoſtem acceſsiſſet, eò facilius illi ſe nocere poſſe. Albanus ſimili ratione adductus, ea ipſa nocte, quemadmodum cum Cæſare prius deliberauerat, Aluarum à Sanda, & Arzium tribunos propere cum expeditis mille Hiſpanis, & ducibus aliquot qui iter cognouerant, hoſtium caſtra tentare iubet, & quid ſui conſilii ſit, oſtendit. Illi de tertia vigilia egreſsi, occulto per ſyluas itinere ad primas excubias perueniunt, quibus ex improuiſo oppreſsis & interfectis, celeriter ad proximas vigilum ſtationes aduolant, quæ vſu ac diſciplina militari, maiore cuſtodia firmari conſuerunt. Senſere vigiles, magna fit ſtrages, excitatur exercitus, & ſigno dato ad arma concurritur. Noſtri è ſuis non amplius tribus amiſsis, incolumes in caſtra reuerſi

uerſi ſunt. Tenebrarum vitio accidiſſe
creditum eſt, vt in conflictu tres illi fue-
rint deſiderati, è quibus vnus ſingula-
ri virtute, equiti vexillum eripuit, ſiqui-
dem nocte quum incertum eſt de rebus
iudicium, non facile queas, præſertim
in promiſcua multitudine, hoſtem à
commilitone diſcernere. Quum ne hoc
quidem accepto incommodo ac rei mi-
litaris dedecore admiſſo, Lantgraui-
us ad pugnam eliceretur, Octauius Far-
neſius Pontificis nepos, quem Italicis
auxiliis præfectum ſupra docuimus, co-
gnito militum ſuorum ſtudio & alacri-
tate pugnandi, operam dabat vt oc-
caſionem aliquam nanciſceretur.
Hæc cogitanti accidere viſa eſt facul-
tas rei bene gerendæ. Nam cum Ale-
xandro Vitellio, & Ioanne Baptiſta Sa-
bello, quorum ille pedeſtribus, hic eque-
ſtribus Pontificis copiis præerat, oc-
cultè ad exploranda loca profectus, ani-
maduertit non procul ab hoſtium ca-
ſtris ſylueſtria eſſe, & impedita inſidiis
conſilioq; ſuo cumprimis apta & opor-
tuna. Intra eas ſyluas magnam mili-

tum ſuorum partem occultare inſtituit, vt quum hoſtium equitatus pabulandi frumentandiq́; cauſa ſe in agros effunderet, ſubito ab iis qui in ſyluis abditi laterent, impetu facto pulſus perturbaretur. At hoſtis ea re per exploratores nunciata, eadem ſpectans, dubitandum ſibi non putauit quin iiſdem quoque artibus data oportunitate noſtros circumueniret, occupatoq́; ipſo illo in ſyluis loco quem ad inſidias Octauius ſibi diſpexerat, cohortes militum aliquot expeditas eo traducit. Hi pabulatores noſtros in proxima villa conſpicati, repente ex omnibus partibus aduolantes, prælio laceſſere cœperunt. Noſtri acriter in eos impetu facto repulerunt, & quanuis pro inſtituta ratione Octauio pugna illa non ſucceſſerit, ab Italis tamen velitibus, quos Alexander eò conduxerat, quum hoſtes non leue detrimentum acciperent, nonnullis vtrinque captis & interfectis in caſtra diſceſſum eſt, quorum tanta iam erat propinquitas, vt non amplius tria millia paſſuum intercederent. quo ſpacio riuus

erat hoſtibus quàm nobis vicinior, nec ita difficilis quin multis locis vado trāſi retur, id quod fieri omnino erat neceſſe, quoties alterutri ad prælium egrederentur.

Interim Cæſar, quòd pro explorato habebat, multis de cauſis impoſitam ſibi eſſe dimicandi neceſsitatem, ad reliquam cogitationem belli ſeſe recepit, vt & ſuorum paucitatem induſtria aliqua ſubleuaret, quum vſque adeò illi multitudine valerent, & ad opprimendos aduerſarios ne cui occaſioni temporis deeſſet. Hæc ille conſilia dum animo circunſpiceret, nunciatum eſt hoſtium copias vniuerſas prima luce riuum tranſiiſſe, & acie inſtructa cum tormentis omnibus non procul abeſſe, hæc enim in tam aperta porrectaq; planicie ſine vllo impedimento facile erat conuehere. Ipſe celeriter equo adhibito, neceſſariis rebus imperatis, quum ad ſtationes aduolaſſet, Albanum in vallo comperit, quæ operi deeſſe viderentur, adminiſtrantem. Intermiſſus enim dierum aliquot ab opere labor,

perficiendi ſpacium non dederat. huc accedebat, quòd humiliore paulò munitione, milites caſtris egreſsi vallum tranſcenderent, foſſæq́; aggere & ruderibus complerentur. Vbi iam diluxiſſet, & nebula, quæ ſub auroram exorta erat, propulſa ſerenitatem reddidiſſet, videre tum clare licuit quemadmodum acies hoſtium inſtructæ conſiſterent. Ordo autem & ratio agminis eiuſmodi erat, quantum ego proſpicere potui, vt creſcentis & in cornua curuatæ lunæ ſpeciem præberet, campus enim, vt erat ſpacioſiſsimus, viſus eſt ad eam rem facultatem ſummam dediſſe. Equitatum omnem in partes plures diſtributum in aduerſa fronte locauerant, perexiguo inter ipſas acies ſpacio loci intermiſſo, per quod ſubſequentes peditum copiæ inſtructis ordinibus conſpicerentur. In dextera parte palus erat, quam nobis antea ſiniſtram eſſe mõſtrauimus. Huic proximum ſtabat agmẽ quoddam, aſpectu, multitudine, & confertiſsimis turmis terribile, additis octo aut nouem bombardis, quæ agmen præcederent.

Sta-

Stabat & alterum non minore equitum numero firmatum, machinis circiter viginti in fronte locatis, pari ordine & interuallo reliquus equitatus dextrorſum coniunctus, totum campum armatis, & quæ ante aciem diſpoſita erant tormentis, compleuerat. Ea autem non in longũ porrecta feriè ſingulatim ſubſequebantur, ſed in latum tranſuerſo & æquabili inter ſe ordine conſiſtebant, vt vno impetu plura ſimul emitterentur. Ad hunc videlicet modum Lantgrauius ſe comparauerat, fidem quam fœderatis dederat, liberaturus. At Cæſar omnem exercitum intra vallum generatim conſtituit, vt, quum vſus veniret, eum quælibet natio locum in acie tueretur, quem in caſtrorum dimenſione teneret. Hiſpanos in læuo cornu contra hoſtem locauit, his autem ſic adiunxit Germanorum phalangem cui Georgius præerat, vt penè vnam ex duabus efficeret, expedita Hiſpanorum velitum manu circum eandem phalangem in alarum ſpeciem circunfuſa. medium locum Italici peditatus maior

pars occupabat, quæ reliqua erat, aggeri quem circa paludem Albanus iecerat, præſidio relicta eſt. Proximæ continuò ad dexteram ordine, Madrucianę cohortes conſtiterunt. Ab his ad oppidi muros quod ſpacium intercedebat, quia operis munitione nondum abſoluta, patebat, curribus & ſcaphis pro vallo obiectis ex maiori parte ſtipandum curauerat. Quod reliquum erat equitatus ipſe claudebat, in quatuor acies à Cæſare eo conſilio diſtributus, vt ſi vel ab ea parte, vel qua vallum erat humilius, hoſtes irrumpere conarentur, equitatus noſter, non modo impetum ſuſtineret, ſed facta etiam eruptione procurreret, & cum eorum equitibus manum conſereret. in quem vſum oportunè ac ſcienter in inſtruendis copiis, quod viſum eſt, inter acies Cæſar ſpacium intermiſerat, quemadmodum in tabula, quam pictam dedimus, ob oculos poſitum eſſe videbis.

Interea hoſtes paulatim progreſsi, quū nō longius abeſſent quàm quo glandes tormentis emiſſæ pertingerent, à palude,

de,quam dexteram eorum cornu cõtingebat,ad mediã ferè planiciem circumiecta multitudine, cingere caſtra noſtra tanta propinquitate cœperunt, vt vix ſexcentorum paſſuum interuallo, ſiniſtrum latus noſtrum, vbi Hiſpani conſtiterant, creberrimis tormentis verberaretur. Adiuuabat enim non mediocriter loci natura, quæ nobis in hac parte magis aduerſa fuit. Cæſar vbi munitiones & ordines circũiiſſet, cognouiſſetq; qua ratione Albanus neceſſariis rebus prouidiſſet,ad agmen ſuum reuerſus,in equo vt erat armatus ante primos ordines contra hoſtem conſiſtit, atque hinc ſubinde ad cohortandos milites, quam in partem ſors offerebat, equo admiſſo decurrẽs,modò Hiſpanorũ,modò Germanorum & Italorum agmen obequitabat, eos non longiore oratione hortatus, quàm vt animo non perturbarentur, ſed priſtinæ virtutis & ſecundiſsimorum præliorum memoriam tenerẽt, neu denſiſsima illa globorum ſegete qui ab hoſtibus in caſtra contorquebantur, quicquam permouerentur: leue eſſe di-

ſpendium quod inde poſsit inferri, ter-
roris incutiendi rem eſſe magis quàm pe
riculi. locum ſe ad dimicandum, & ſecu
rum & tutum dediſſe, iniquitatē condi-
tionis contrà perſpicerent, qua illi pu-
gnaturi eſſent aduerſus eos, qui ex vallo
& propugnaculis tela coniicerent. dan-
dam eſſe omnibus operam vt locum ſu-
um ſtrenuè quiſque defenderet, & im-
preſsionem hoſtium fortiter ſuſtineret.
denique à Deo & animi virtute auxiliū
peterent, cætera verò omnia ex victoria
& liberalitate ſua ſperarent. Exercitui
quidem vniuerſo, tanta inceſsit ex ora-
tione præſentiaq; Cæſaris volūtas & ſtu
dium, vt alacres omnes & fiducię pleni,
nihil iam ſibi arduum, nihil difficile exi
ſtimarent, quod non labore, patientia,
ac virtute conficerent. Atque hinc ſanè
non difficulter animaduerti queat, quā-
tum in huiuſmodi rebus momētum ha-
beat vel Principis ipſius præſentia, vel
eius qui exercitui cum imperio præeſt,
potiſsimum ſi inter ſuos habeat opinio-
nem virtutis. Inſtructæ hoſtium copiæ,
quum non longiore quàm ſupra mon-
ſtraui-

ſtrauimus interuallo à caſtris noſtris cō‐
ſiſterent,id enim ad machinarum omni
um eiaculationem ſatis eſſe iudicabant,
tanto repente furore & impetu diſplo‐
dere tormenta cœperunt, vt in vallum
& acies,glandium velut imbres implue‐
re viderentur. Albanus ad ſiniſtrum cor
nu ante legionis Hiſpanicę ſigna,in quā
partem tormentorū tempeſtas atrocius
ſæuiebat, dum fortè conſiſteret, miles
ei proximus tormētario globo ictus exa
nimatusq; concidit: atq; inde profectus
quū reliquos ordines circūiret, compa‐
ratis iis quæ ad oppugnationē opus eſſe
viderentur (cuius iam bis nō obſcura ſi‐
gnificatione facta,hoſtes poſt emiſſa tor
menta & vallum crebris ictibus pulſatū
irrupturos credebat) militibus impera‐
uit ne iniuſſu ſuo vllum quis telū in ho‐
ſtem coniiceret,ſe quū id vellet,ſignum
eſſe daturū. quod nobis quidem optima
ratione ab eo inſtitutum videtur. pro‐
nuntiauerat enim ne quis ſe loco moue
ret, ſed vt erant intra vallum in ſuis or‐
dinibus diſpoſiti, ita hoſtium impetum
exciperent, nêve ſclopos emitterent,
priuſ‐

priuſquam ad duplicatam haſtæ longi- tudinem ad vallum acceſsiſſent, ſiquidē hac ratione futurum, vt nullum fruſtra telum in eos mitteretur, & prima aduer- ſariorum impreſſio, ac vis facilius infrin- geretur, dum cominus à velitibus no- ſtris quos numero & virtute præſtantiſ- ſimos in exercitu Cæſar habebat, cata- pultis emiſsis nulli eſſent ictus innoxii. At hoſtium tam continua & pertinax erat concuſsio, vt quum longo iam tem- pore continenter eſſent eiaculati, tum primum incipere viderentur. Noſtri vi- ciſsim in eorum acies, quæ ex aduerſo conſtiterant, quanuis tormenta con- tentione magna emitterent, loci tamen natura, vt dictum eſt, fiebat vt leuiori ac vano ictu minus offenderent. Singulari autem Dei beneficio tribuendum eſt, quòd è tanta globorum multitudine, ita rari eſſent qui exercitui noſtro damnum inferrent. Cæſaris agmen ſæpiſsimè qui- dem ſpectantibus nobis traiectum eſt, circa eum ipſum tam denſa glandium nube circumuolitante, vt plerique de ipſius magis quàm de propria ſalute ſol-

liciti,

liciti, in vnum Cæſarem ora vultusq́; conuerterent. Vnum hoc accidit præ cæteris maximè memorabile, quod hîc prætermittendum non exiſtimauimus. Sphæra bombardica directo in Cæſarē impetu miſſa, ita prope ad pedes deci- dit, vt vel leuiſsimo quouis reſultu præ- ſens ac ineuitabile periculum attuliſſet. At ſeruatori optimo Deo ſic viſum eſt, vt quo loco primum in terram deſiliit, ibi quoque ſcrobe facta defoderetur. In eadem acie quidam ex ſtipatoribus bombarda eſt interemptus, equi duo, & ſignum militare vnum conuulſum ac dilaceratum. Neq; vllum aliud grauius incommodum acceptum eſt. Eo die ac- cidit vt ſex tormenta è noſtris diſploſa creparent, ac diſsilientibus circumqua- que fruſtis, circunſtātium ſauciarentur duo, & exanimati conciderent quinq;.

Lantgrauius magnifici illius promiſ- ſi ſui non immemor, omnem ſpem in celeri & crebra bombardarum emiſsio- ne ponebat, quarum terrore ſi noſtros loco depulſos videret, tam inſignem vi- ctoriam adeptus in perpetuum ſe fore

victorem conſideret. Hæc ſanè omnia tam ſingulari patientia ac virtute milites noſtri ferebant, vt, quum terra globis, aër horrendo ſonitu vndique percuteretur, neq; vllum ſtaret agmen ab immani illo furore tutum aut liberum, ſed aſsiduis tormentorum ictibus etſi maiori ex parte innoxiis Germani, Itali & Hiſpani æquato omniũ periculo eſſent expoſiti, non modo integræ acies & immotæ perſiſterent, ſed & milites ſinguli tam laudis cupiditate quàm ignominiæ metu excitati, ordines ſuos intrepidè fortiſsimeq; ſeruarent, nec auerſum eorum quenquam videre liceret, vt tutiorem locum ſibi diſpiceret, eo quem in acie defendendum ſuſcepiſſet. Vbi amplius octo horas Lantgrauius continuo intonuiſſet, noſtrosq; opinione ſua firmiores cognoſceret, magisq; imperterritos, quàm vt talium fulminum iactu, loco dimouerentur, ſedatiore iam paulò tempeſtate Cæſar, quòd nouum ab hoſtibus iniri conſilium crederet, equitibus imperauit, vt ad contubernia ſe ad quietem reciperent, & poſtea ſigno dato, re-

lictis equis celeriter arma caperent, & ad vallum concurrerent. At quærat fortaſſe quiſpiam, qua ratione Cæſar adductus, loco ſepto equitatum inſtruxerit, quum alioqui ad diſciplinā & vſum militarem parum apte conuenire videatur, ſi intra vallum equeſtri prælio decertetur. Ad ea reſpondeo, conſilium Cæſaris non eſſe damnandum, neque id enim temerè ipſum inſtituiſſe, vbi opere imperfecto, humilioreq́ paulò munitione, & vallum pluribus locis facile trā ſcenderetur, & equitatus ea parte eſſet diſpoſitus, quà munitiones intermiſſæ deſiſterent, & qua veriſimile erat hoſtium equitatum irrupturū. Siquidem ita effectum eſt, vt qua via & ratione illi in caſtra noſtra impreſsionem facerēt, eadem prorſus à noſtris occurreretur.

Erat ad dexterum hoſtium cornu iuxta paludem, villa paſſus circiter ſexcentos à caſtris noſtris diſsita, eam hoſtes, ꝙ ad munitionē videretur accōmoda, magno militū præſidio firmauerāt, locatis ante domum tormentis, quibus ſiniſtrum aggeris noſtri latus validè percuteretur.

Qua

Qua re animaduerſa Albanus, hoc toto tempore quo ſæuiſsima eſſet machinarum tempeſtas, expeditis aliquot Hiſpanis extra vallum eductis, iubet vt cum hoſtibus qui ad villam, tormentis præſidio poſiti erant leui prælio contendant, atq; ita accidit, vt vno tempore & Lantgrauius tonans, & milites noſtri continenter cum hoſte pugnantes conſpicerentur. Omnia experti hoſtes, quũ poſt horas continuas nouem, quibus in Cæſarem fulminaſſent, neminem loco ceſſiſſe viderent, neque multum ad ſolis occaſum temporis iam ſupereſſet, paulùm ſummotis retro bombardis propius villam & riuulum, vbi frumentariæ molæ erant aquatiles, & in cuius ripa tabernacula multa tetenderant, perpetua foſſa & vallo ante alia tormenta omnia, quo loco diſpoſita erant, perducto, ſub noctem in caſtra copias reduxerunt. horum alterum latus, vt ſupra demonſtratum eſt, qua parte paludem contingebat, circiter paſſus octingentos à caſtris noſtris, alterum quod paulò longius ad planiciẽ protendebatur, bis mille quingentos

gentos diſtabat.

Ea nocte inter cœnandum Lantgra‐uius (vt fertur) arrepto in manus pocu‐lo, qui Germanis mos eſt, quum Scher‐telo præbibiſſet, hoc ego Schertele, in‐quit, vinum iis propino, quos hodie ad Orcum tormenta noſtra miſerunt. Ad ea Schertelus, equidem neſcio, ait, quos illa peremerint, at hoc vnum ſcio, nemi‐nē ex viuis ne pedem quidem loco ceſ‐ſiſſe. Schertelum fama eſt eo die dū quid agēdum foret ad concilium deferretur, in eam ſententiam eſſe loquutum, vt ca‐ſtra noſtra oppugnarentur: Lantgrauiū verò cōtra ſenſiſſe, cuius ego conſilium magis probandum exiſtimem. Quanuis enim fortuna, quæ plurimum poteſt, cū in reliquis rebus, tum præcipuè in bel‐lo varios caſus afferat, ac paruis momen‐tis magnas ſæpe rerum commutationes efficiat, tamen ſi recta ratione perpen‐das, nō temerè profecto Cæſarianos mi‐lites eos fuiſſe iudices, qui ita facile ca‐ſtris, quanquam non adeò munitis ex‐uerentur. rem ipſam eſſe teſtimonio, quòd tam horrenda bombardarum ful‐

mina tot horis fortiſsimè ſuſtinuiſſent, & quorum tanta virtus atque ea præſentia animi fuiſſet, vt quum maxima æneарum glandium multitudine premerentur, non modo demigrandi cauſa acie excederet nemo, ſed ne reſpiceret quidem quiſquam, iiſq́ue tunc extra vallum progreſsis, in tantam contemptionem terribiles illæ machinarum flammæ venirent, vt ad ipſas earum fauces hoſtem vltro quoque prælio laceſſerent. Itaque Scherteli conſilio, quum infelicem exitum mihi videatur habiturũ fuiſſe, Lantgrauii ſententiã vtpote in omnem euentum tutiorem ac magis ſalubrẽ, ego certè anteferendam cẽſerem. Aiunt & Fæ dericum Saxoniæ Principem conſuluiſſe, vt poſtridie quàm ad Ingolſtadium ventum eſſet, Cæſarem cum omnibus copiis oppugnarent. ego vtriq́ue conſilio eundem euentum ſemper pręſagii, facta è Cæſaris conſtantia & virtute coniectura, cuius exercitus quum nongentis tormentorum ictibus vno die feriretur, ad hunc tamen modum ſe habuit, qualis à nobis eſt commemoratus.

Ea nocte Cæſar plauſtris, quorum magna in caſtris erat copia, materiam comportandam curauit, magnoq; militum ſtudio & labore, munitionibus in ſublimiorem altitudinem extructis, pluteos adiecit ad defendendos tormentorum ictus ac repellendos. Albanus quoque ab ea parte qua palus ad flumen attingebat, vbi Hiſpanos conſtitiſſe docuimus, longius vallum producere, dexterúmque caſtrorum latus, vbi carros prius pro vallo obiecerat, totum ſepire inſtituit.

Eo qui inſequutus eſt die, hoſtes intermiſſo bombardarum vſu, paucos è ſuis diſperſos emittunt, qui noſtros extra munitiones ad pugnam eliciant. Hiſpani ſtudio incitati, circiter octingenti extra vallum egreſsi, leuiore prælio commiſſo, ita hoſtem premere atque acriter inſtare cœperunt, vt laborantibus ſuis equites mille ſubſidio ſummittere cogeretur. Hi triplici agmine inſtructi præceſſerant. in primo centum ferè equites erant, reliqua duo, quæ ordine ſuo conferta ſubſequebantur, rari

antecedentes. Erãt è noſtris circiter quadringenti per campum diſperſi, nam reliqui, numero quingenti, non ita procul ad ſigna præliantibus præſidio conſiſtebant. Equites illi centum, loci æquitate confiſi, quòd planiciem aptiorem ſibi quàm noſtris velitibus iudicarent, impetu facto in eos qui primi ac rari conſtiterant, cum diutius militum noſtrorum vim ferre non poſſent, ſeſe fugæ mandarunt. Secunda acies fugientibus ſuis ſubſidio venit, ea vexillum habebat luteo colore infectum. Noſtri ea re nihilo magis perterriti, ad eandem benignitatem à ſe exceptos, pari quoque illos virtute reiecerunt. Supererat tertia acies puniceo ſigno conſpicua, ſimilem videlicet pugnæ aleam ſubitura. Equites quum infeſtis haſtis procurriſſent, confertiſsima glandium nube turbati fuſiq́; omnes terga verterunt, Noſtri magno eorum numero interfecto, neque ſui colligendi neque conſiſtendi data facultate, nullum prius inſequendi finem fecerũt, quàm præcipites omnes & fuga perterritos in caſtra compellerent. Facinus

præcla-

præclarum ſanê ac memorabile viſum eſt omnibus, præcipuè autem Cæſari, qui tam ſingularem virtutem in milite ſummopere eſt admiratus, perſpecta & loci & certaminis iniquitate dũ in aperta planicie equites numero quoque ſuperiores, cum raris ac diſperſis peditibus præliarentur. Is dies & præliũ, hunc exitum habuerunt.

Albanus inſequenti nocte duobus è Boëmia foſſorum millibus, quos ea regio ad vallandi vſum præ cæteris maximè gignit idoneos, nouum aggerem foſſamq́ perducit directò contra villã, vbi hoſtes tormenta locauerant. tantaq́ iam erat ab ea parte propinquitas, vt quum non amplius quadringenti paſſus intercederent, commodè minora tormenta campeſtria adigerentur. Iuuabat & loci ipſius natura vt poſt id vallum tutius milites noſtri occultarentur. Ei loco præſidioq́ Aluarum à Sanda fortiſſimum virum præfecit. Hoc opere hoſtes ſupra modum commoti, inopinato malo turbati, tam incommoda vicinitate perterriti, in nullam ferè partem aliam

contentius tormenta miſerunt.

Interim Albanus communicato cum Cęſare conſilio, quum per ſpeculatores cognoſceret tria Heluetiorum millia in Neoburgi ſuburbiis, oppido machiniſque aliquot à Saxone & Heſſo, præſidio eſſe relicta, Marignanum, Madrucium, & Alphonſum Viuem cum ſuis quenque copiis clanculum eò mittere ſtatuit, qui loco illos aperto, & inopinantes aggreſsi ad vnum omnes contrucidarent. Verum quòd eo ipſo die Lantgrauii iuſſu in caſtra veniſſent, Albanus ea occaſione deiectus, propoſitum non tenuit. Summæ erant rerum omnium commoditates, quę noſtros ad expeditionem illam inuitauerant. iter latens & expeditum, ſcientiſsimi duces, pons in flumine caſtris noſtris vicinus, hoſtis in vlteriore ripa, vt alter alteri auxilium ferre non poſſet penè intercluſus, niſi circuitus magnus magnaq; fluminis mora interpoſita, ſtudio ac velocitate vinceretur. Tanta occaſione ac beneficio fortunæ Albanus ad opprimendos Heluetios ſe vſurum ſperaue-

rat,

rat,niſi repentino diſceſſu maturaſſent ad ſalutem contendere. Poſtero die mane Lantgrauius ſuperius inſtitutum ſeruans, productis in campum omnibus copiis, caſtra noſtra maiore quàm antea bombardarum impetu ac multitudine oppugnare incepit, latius ad planiciem, quæ dexterum latus noſtrum reſpiciebat, pluribus tormentis diſpoſitis. Agger autem quem proxima nocte Albanus iaciendum curauerat ſpacio propinquitatis impediebat ne longius à villa, quæ ibi locata erant, promouerentur. Cæſar ad vallum & ſtationes accurrit, animos militum præſentia & oratione confirmat. Erat in extrema foſſa ad valli angulum agger in altitudinem paulò editior, ad caſtelli ſpeciem collocandis tormentis extructus, Ibi dum inter Hiſpanos qui ex Inſubribus & Neapoli venerant, ſacro abſoluto & prandio, ſub armis moratur, bipennis quã proximus miles manu tenebat, ictu tormẽti confracta, vnũ è circũſtantibus interfecit. Eo die quoq; prætoriũ Cęſaris caſtrenſe & ipſum conclaue

in quo lectus erat conſtratus (portatile id erat ſub iiſdem pellibus è ligno paratum) tormento traiectum eſt. Quum ex omnibus locis conſumpta iam reliqua parte diei caſtra noſtra aſsiduis tormentorum ictibus concuterentur, ſub horã quartam ante ſolis occubitum Alphonſus Viues, vt erat ab Albano præceptũ, cum quingentis militibus Hiſpanis ex iis cohortibus quas ipſe ducebat, extra munitiones progreſſus media inter bina caſtra planicie, quò & ex hoſtibus pugnandi cauſa pleriq; proceſſerant, inſtare & prælio eos laceſſere cœpit. Milites noſtri ſpe victoriæ, hoſtium fuga, ſuperiorumq́; dierum ſequundis præliis elati, eam virtutem præſtiterunt, vt & alterũ hoſtium vallum audacius tranſgreſſi, deiectis pulſisq́; defenſoribus vi caperent, & celeri curſu incitati, protinus ad villam omnes contenderent. Ibi quum ad veſperum acerrimè pugnatum eſſet, Viues, ſigno receptui dato, incolumes ſuos magna cum laude in caſtra reduxit. Media circiter nocte itum eſt ad hoſtiũ munitiones, conclamatur ab illis ad ar=

ma,trepidè concurſatur, inſtruuntur ad
pugnam copiæ. Tot incommodis con=
flictati, quum nulla facultas quietis da=
retur, noctu vigilia & labore confecti,
in acie ſub armis conſiſterent, interdiu
continentibus præliis fatigarentur, at=
que agger ille nouus & foſſa contra vil=
lam recta regione prolata, ſummam iis
rerum ſuarum (vt poſtea ex captiuis co=
gnitum eſt) deſperationem adferret, lan
gueſcere paulatim atque animo remit=
ti cœperũt. Equites enim eorum quum
anguſtiſsimè à noſtris iam continerẽ=
tur, neque propius quàm ad mille quin=
gentos paſſus accederent, qui antea, vt
ſitum caſtrorum cognoſcerent, ſub ipſo
vallo ad ducentos paſſus, magna verbo=
rum contumelia conuitiisq; nos inceſ=
ſentes perequitarent, velitum noſtro=
rum vſu & iaculandi peritia territi, ope=
ris munitione & militũ fortitudine re=
pulſi, inſolentiam & audaciã ſuam non=
nihil repreſſerant. Huc accedebat, quòd
munitiones continenter Cæſar contra
villam ita proferret, vt caſtra caſtris pe=
nè conuerteret, & quanto longius ope=

re procederet, tanto facilius villa occuparetur. Is enim locus tam erat nobis idoneus, vt machinis in eo diſpoſitis hoſtes libera ſibi & defendendi valli & in acie conſiſtendi facultate adempta, neceſſario caſtra mouere cogerentur. Quod omni ratione tum ſibi conandum Cæſar putauit, vt auctoritatem eorum (quod poſtea præſtitit) & opinionem minueret, dum fama crebreſceret, qui magna omnium expectatione veniſſent vt ipſum pellerent, eos ipſos maiore cum infamia perculſos, priores loco ceſsiſſe.

Sub idem ferè tempus circiter quadringenti grauis armaturæ equites à Federico Palatino in hoſtium caſtra venerunt. quos ibi perpetuo permanſiſſe compertum eſt, dum Cæſaris patientia & virtute, bello confecto, fœderatorum exercitus diſsiparetur. Palatinus poſtea culpam ſuam apud Cæſarem deprecatus, quum de ſuperioris temporis conſilio ſe excuſaret, ſuaꝙ in eum perpetui temporis officia prædicaret, & in petenda pace culpam omnem in Virtember-

tembergici fœderis ſanctionem coniiceret, in primis commemorauit, nec iudicio nec voluntate ſua equitum auxilia vnquam ſe contra eum armaſſe, ſed amicitiæ & priuati fœderis nomine, quod ante annos multos percuſſerat, ad Virtembergenſem regulum equites illos miſiſſe, à quo poſtea neceſsitate & vi coactos in fœderatorum caſtra veniſſe. Quibus dictis an pro iniuriæ purgatione & officio Cæſari ſatisfecerit, aliorum eſto iudicium. Vnum hoc ſatis liquet, quanto auctiores fuerint coniuratorum copiæ, tanto maiorem illuſtrioremque victoriam, non ſine maximo Dei beneficio Cæſarem eſſe conſequutum.

Poſtridie, quæ prius conſueuerat, concitata glandium tempeſtas illuxit. Si quidē hæc erat matutina ſalutatio, qua nobis illi precarentur felicem diei exortum, fuit tamen eo minus grauis, quo longius, vt demonſtratum eſt, machinas ſuas remouerant. Ab aurora ad meridiem, ſumma contentione tormenta emiſſa ſunt, poſt horarum aliquot

facta

facta intermiſsione, ſub veſperum eo= dem hoſtes furore & amentia impulſi, ad noctem vſque pertinaciſsimè in ia= culando perſiſtunt. Quàm nefaria au= tem fuerit atrocitas, qua illi per dies ali= quot in noſtrum exercitum ſæuierunt, ingens globorũ numerus atteſtatur qui intra vallum duntaxat repertus eſt. Si= quidem non habita ratione eorum qui in caſtra non inciderint, aut quos intrò coniectos caſus prohibuerit inueniri, in tabernaculum tormentorum præfecti, mille nongenti & amplius relati ſunt.

Interim leuioribus præliis quum quo= tidie certaretur, nec vllus præteriret di= es quin egregium aliquod factum mili= tare incideret, nocturniſq; noſtrorũ eru ptionibus vſqueadeo defatigarẽtur, vt ab area, quam in caſtris aciei inſtruendæ delegerant, aut raro aut nunquam diſce derent, munitionibus noſtris eò perdu= ctis, vt penè vallum eorum contingerẽt, & frumentatione libera ab equitatu no= ſtro prohibiti, in magnam rerum omniũ inopiam adducerentur, magno iumen= torum & equitum numero in pabulatio

nibus amiſſo, pluribus inter leuiora prę-
lia militibus aut vulneratis aut occiſis,
tot vndiq; malis defeſsi hoſtes, tandem
concilio conuocato, conſtituerunt opti
mum eſſe eo loco diſcedere. Itaq; nulla
interpoſita mora, maioribus machinis
impedimentisq́; omnibus ſilentio pri-
ma nocte riuulum traductis, ne citiſsi-
ma ſuorum profectio à noſtris cogno-
ſceretur, poſtridie mane priuſquam lu-
ceſceret tabernaculis omnibus detenſis,
& peditatu pręmiſſo, leuioribus tormen
tis aliquot nouiſsimo agmini præſidio
relictis, equitatuq́; omni (is tum in con-
ſpectu exercitus noſtri riuum tranſibat)
in turmas circiter tredecim diſtributo,
id quod conſtituerant facere conantur,
& in itinere incœpto perſiſtunt. Cogni-
to eorum cõſilio Cæſar equites aliquot
ad explorandũ iter præmittit. Ipſe cum
Albano & leuioris armaturæ equitibus
aliquot ſubſequutus, ordinem quem in
proficiſcendo ſeruarent, animaduertit.
Res erat aſpectu pulcherrima, omnibus
eius iugi collibus qua deſpici poterat,
ab equitatu occupatis, planiciem omnẽ

quæ

quæ interiacebat, pedeſtrium copiarum tam numeroſa multitudine completam cernere. Illi, quo ſupra demõſtrauimus ordine & imperio, ſecundis caſtris Neoburgum perueniunt.

Interea Cęſari renunciatur Buranum cum exercitu incolumi Rhenum traducto, inuito Aldenburgio, quem cohortibus in aduerſa ripa diſpoſitis vt noſtros tranſitu prohiberent, Lantgrauius præfecerat, à Francfordia nõ procul abeſſe. Cæſar, etſi intelligeret copias quas Buranus ducebat animo ac virtute ſubli-miores eſſe, quàm vt Rheno iam ſuperato cum iis qui ripam occupauerant hoſtibus, prælium detrectarent, inferiores tamen, quàm vt cum vniuerſis coniuratorum copiis manum contererẽt, nactus idoneum nuncium qui literas ad eum deferat, admonet iter caute diligenterq́; faciat, perſcribit in literis hoſtes ab ſe Neoburgum, ac inde Danouertum diſceſsiſſe, omnemq́; multitudinẽ ad eum cõuertiſſe. Erat magni periculi res cum tãtis copiis dimicare: quamobrem eum à ſe admonendum ſtatuit, ne, quum vl-

tra Francfordiam tantum iam eſſet pro=greſſus,& hoſtes ea occaſione inuitati fa cile adduci poſſe crederentur, vt obuiā irent,ipſe ex inopinato ab illis opprime retur. Tribus equitum millibus quę ſub imperio ſuo Buranus ducebat, quatuor præterea haſtatorum millia ex Alberti, Pruſsi, & Archiducis numero ſeſe ad=iunxerant. Hi quum per ſe infirmiores eſſent quàm vt auderent Rhenum tra=iicere, ampliores Burani copias expecta rant quibus in flumine tranſeundo con firmarentur. Is enim præter quatuor & viginti lectiſsimas in Belgis, & finiti=mis populis conſcriptas cohortes, alias quoque quatuor Hiſpanorum,duas Ita=lorum,ducentos eiuſdem gentis equites ſclopis inſtructos, cum æneis tormentis duodecim ex Flandria cōduxerat, hi ex Britannia euocati,in bello quod eius in=ſulæ Rex contra Gallum gerebat,ſtipen dia fecerant. Numerus hoſtium qui vl=teriorem ripam obſederant, cohorti=bus triginta ſex & mille ducentis equiti bus cōſtabat. Rationem igitur fluminis tranſeundi Buranus hanc inſtituerat.

Duo=

Duodecim millia paſſuum ſupra eum lo cum, vbi in aduerſa ripa hoſtes in ſtatio nibus diſpoſiti fuerant, decem cohortes prima confecta vigilia ſilentio progre- di, ibique ſe expectari iuſſerat, cohorta- tus, vt ea quæ imperaſſet diligenter in- duſtrieq; adminiſtrarent. Quibus ex ſen tentia confectis, oppidoq; in ripa rebus ſuis peroportuno potitus, lintribus ac pontonibus copias omnes equitatumq; incolumen traduxit. His explicitis re- bus, ad Francfordiam poſtea cum hoſti- bus leuiore prælio facto, compluribus vulneratis & occiſis reliquos in fugam coniecit, atque ita perterritos egit, vt non prius fuga deſiſterent, quàm intra oppidi mœnia cogerentur. Celeriter hac de re, (vt ſupra commemorauimus) ad Cæſarem fama perlata eſt, etſi arctiſ- ſimè obſeſsis omnibus viis, nuncii ple- rique interciperentur. Quarum rerum omnium meliore hoſtes conditione vte bantur, quòd ita longe lateq; domina- rentur, Cæſarē contrà itineris infeſti dif ficultates ac pericula, ad nuncios dimit- tendos aut recipiendos impediebant.

Dum

Dum ad Neoburgum hoſtes biduo commorantur, varii ad Cæſarem rumores allati ſunt, eos vel traiecto Danubio in Bauaros iter facere, vel Danouertũ, vnde prius exierant, repetere. Cæſar exercitum caſtris continuit, dum quid conſilii caperent, perſpiceret: & quod optimum ſibi iudicaret, maturè ſtatueret. At illi Neoburgo profecti, relictis tribus ad oppidi defenſionem cohortibus, ſecundo die Danouertum venerunt. Conſtãs omnium opinio eſt, maximi eos erroris æquiſsimis ac plurimis de cauſis cõdemnari debere, quòd loco egregie communito, temerè exceſſerint, in quo & res frumentaria cõmodiſsimè expediretur, & lignandi aquandiq; ſumma eſſet facultas, nec pabuli minorem copiam finitimi pagi ac villæ præberet. Non illi pontem in flumine, non liberam in ſuperiorem Bauariam ad ipſum vſq; Monacum excurſionem, non Lyci fluminis defenſionem conſyderabant, circa cuius oſtia Raniam præſidio ſuo firmatã, ex eo quo conſederãt loco, tutiorem quoq; redderent, quum hoſtibus à tergo relictis, Cæ-

ſari nec vtile nec conſultũ foret eò con tendere. Non ad hæc addebant, non Vlmam, nõ Auguſtam Cæſarem poſſe iter conuertere, quin priores ipſi multũ expedito itinere antecederent. Sed perinde ac ſi leuiora cõmoda hæc eſſent, q̃ vt eorum ratio deberet haberi, aut aliis for taſſe rebus permoti quas magis ex vſu ſibi fore putarent, ad Danouerti mœnia caſtra locarũt. Ibi dum ad dies quatuor conſediſſent, Lantgrauius rei frumentariꝫ proſpiciendum exiſtimans, Laugingam profectus (Bauariæ id oppidum eſt à Danouerto fermè octo milium interuallo) deditione à ciuibus facta, oppidũ in fidem accepit, & horreo ibi conſtituto vecturiſq; frumenti deſcriptis, Dano uertum in caſtra reuerſus eſt, quæ ibi ha bebat natura loci communitiſsima. Interim ipſe literis nunciiſq; per omnes prouincias ac ciuitates dimiſsis, rerum à ſe geſtarum magnitudinẽ extollit, pleniora etiam atque vberiora perſcribit, prælia ſua ſecũda, militum voluntatem ac ſtudium, rerum neceſſariarum copiam, fugam noſtrorum, anguſtias & peri-

cula, multorũ principũ fortiumq́; virorum captiuitates & mortes, aliaq́; id genus affingit plurima, quibus pecuniariæ exactionis, quam plerunque literis coronidem adiiciebat, pleniorem fidem faceret, eà enim iam erat anguſtior. At ego ciuitatibus huiuſmodi tenoris epiſtolas non credo admodũ gratas fuiſſe, propterea, quòd ſe diutius duci intelligerent, & dies inſtaret quo die Cæſarem vel captum vel Germania pulſum oporteret, quemadmodum & ipſe publice eſſet pollicitus & illæ viciſsim ex promiſſo futurũ ſperarent, cuius tamen rei expectatione deſtitutas penè ſe cognoſcerent, quũ adeò nihil adhuc parati viderent.

Circa eadem ferè tempora per exploratores Cæſar fit certior, Lantgrauium cum exercitu Vuendingam iter habere, id oppidum in via ſitum erat quà venienti Burano occurreret. Hæc fama quũ inter hoſtes ipſos tum edita eſſet certiſſima, Cæſarem impulit vt per nuncios regionum peritos celeriter Buranus admoneretur quid ageret, & quam ra-

tionem profectionis inſiſteret. Ex pro-
poſitis conſiliis duobus, vtrunque ſatis
videbatur explicitũ: vt vel auerſo pau-
lùm ab hoſte itinere, maturius tutiusq́ꝫ
ſe cum eo Cæſar coniungeret, vel ſi id
conſequi non poſſet, hoſtem eueſtigio
inſequutus, medium inter vtriuſque ca-
ſtra circuncluderet. ſi quidem ipſa belli
ratio & neceſſitas poſtulare id viſa eſt,
neque permittẽdum eſſe, vt hoſtes cum
omnibus copiis Burano obiicerentur,
neque Cæſari ad fœderatorũ vrbes ten
tandas retro iter auertendum, quas ve-
riſimile erat magnis munitionibꝰ ac pręſidiis à Saxone & Lantgrauio eſſe firma-
tas, quo interim tempore tanta virium
noſtrarum pars, numeri & multitudinis
iniquitate in dubium vocaretur, quum
validiſsimas hoſtium copias, Rheni quo
que cuſtodiæ non ita pridem auxiſſent.
At illi his omnibus diebus non ſine in-
genti errore, vt pleriqꝫ exiſtimant, exer-
citum caſtris continuerunt, in id vnum
intenti, vt circiter duodecim peditum
millibus cum æneis tormentis aliquot
Iſtrum traductis, & caſtello quòd in ripa
Lyci

Lyci muniri iuſſerant,præſidio conſtitu tis, ſummam belli reruḿq; omnium in eum quem occupauerant caſtris locum conuerterent. Per cuſtodias enim quas ad Lycum diſpoſuerant, facile confide= bant Auguſtam defendi: & per ſtatiua quæ ad Danubiū ipſi habebant, Vlmam optimè ſe poſſe tueri. Hoc illi contēti ſa tis habebāt in præſentia militem ocioſè intra vallū ab expeditionis labore qui= eſcere: quibus rebus perfectum eſt vt Bu ranus libera ſibi progrediendi facultate conceſſa, præter Francfordiā & Rotem= burgū traductis copiis iam Norimber= gę propinquus, quū ſe maioribus itineri bus extendiſſet q̃ vt hoſtem ſibi occur= ſurum crederet, paucis pòſt diebus opor tuno tempore, cum omnibus copiis in= columibus Ingolſtadium ad Cæſarem peruenerit. Is eo die in campum prodie= rat, vt Burani exercitū perluſtraret: erāt enim tam pedeſtres quàm equeſtres co= piæ, omnibus militaribus ornamentis florentiſsimæ. Cæſar biduum ibi mo= ratus (quod ſpacium reficiendis militi= bus dedit) omnibus modis perſequen=

dos ſibi hoſtes exiſtimauit, quaſcunq; iñ partes ſe illi reciperét. Quumq́; ſuos docuiſſet quantum vſum haberet ad ſubleuandam rerum omnium inopiam Neoburgo potiri, propterea quòd eſſet oppidum plenum & opulentum, in ripa Danubii quæ tantum vtriq; exercitui momentum adferret, oportuno loco & munitiſsimo ſitũ, nec vlla ratione ſibi poſt tergum relinquendum, ipſe prima luce cum leuiore equitatu & parte expediti Hiſpanici peditatus ſpeculatum egreſſus, tempeſtiuè Neoburgũ aduenit, ibiq; quò diligentius naturã loci & oppidi ſitum cognoſceret, & ſuo & Albani equo è conſpectu remoto, inter denſiſsimam miſsilium multitudinẽ quæ ab hoſtibus ex muro emittebantur, pedibus ſtudioſiſsimè ſingula perluſtrauit.

Equidẽ hac de re non auſim iudicium ferre, deceat ne atq; ex vſu ſit, aut Imperatorem aut legatũ ex quo vno & publica omnium ſalus, & ſumma totius belli dependeat, manifeſtis huiuſmodi periculis, nõ ſecus ac ſi gregarius quiſpiã miles ſit, intrepide ſe ipſum obiicere. quũ

tamē alioqui & ipſa hoc videatur efflagitare neceſsitas, vt is qui imperatorias ſibi partes ſumpſerit, totiq́ʒ negotio pręfuerit, oculis ipſe diligēter perſpiciat, & ſtatum rei quàm aggreſſurus eſt, ſedula perquiſitione facta cognoſcat. Res dubia eſt & in vtramqʒ partē laudabilis, iudicent qui rectius me intelligūt, trutina mea anceps fertur, in vtram partem ſe examinata inclinet.

Cæſar itaque loci illius natura perſpecta Ingolſtadium reuerſus poſtridie mane caſtra mouet, & ponte qui ad oppidū erat aliiſq́ʒ duobus quos fieri imperauerat, celeriter exercitu flumen traducto, circiter duo paſſuum millia ab eo loco, recta ad Neoburgum regione conſedit. Poſt eum diem quòd conſuetudine ſua exercitum bipartito prius duxiſſet agminis ordine cōmutato, triplici acie, inſtructa proficiſci inſtituit. Superioris conſilii ratio hæc erat: quum hoſtes tantum multitudine poſſent copiiſque noſtris in tres partes diſtractis, ſingulæ infirmiores futuræ eſſent q̄ vt cuiuis hoſtiū aciei opponerētur, exercitus in duo

duntaxat agmina diſtributus, in quorũ ſingulis binæ peditum ac totidem equi=tum acies incederent, longe firmior fu=turus erat ſi qua foret impoſita dimican di neceſsitas. Auctis poſtea Belgarũ ad=uentu copiis, tertioq́; quod nouiſsimũ erat, agmine addito, Buranus, Albertus, Pruſſus, & reliqui belli duces, partito de inceps inter ſe munere, quemadmodum vices & ordo ad quemq́; redirent, ita vel primam aciem ducebant, vel claudebãt extremam. Poſtero die quum circa me=ridiem Cæſar ad millia paſſuum duo à Neoburgo caſtra conſtituiſſet, decurio=nes & qui ſummo magiſtratui præerant (hos Burgimagiſtros Germani appel=lant) de petenda pace legati ad eum ve=niunt, cuius legationis tribuni quoq; & ordinum duces à coniuratis ad oppidi cuſtodiam relicti, communem cum ma=giſtratibus locum obtinebant. Deditio=nis erat conditio, vt ea quæ à Cæſare fer=retur, ſe vſuros oſtenderẽt, & ſe ſuaq́; oĩa eius poteſtati & arbitrio permiſſuros di cerẽt. Hoc ſibi ſatis oportunè Cæſar ac=cidiſſe arbitratus eſt, ꝙ oppidũ frumẽti

copia,

copia,munitione,flumine & ponte firmiſsimum, præſertim tam propinquo ſubſidio,ſine mora in fidem ſuam ac potestatem veniſſe videret. atque hac potiſsimum ratione plerique è noſtris permoti, Cæſarem à Neoburgi obſidione conati erant auertere, quòd locus ipſe ad ſubſidium ferendum adeò commodam facultatem præberet. At ipſe contrarium ſentiens, certis de cauſis quas conuenientiores putabat, in ſententia ſua perſtitit. Deditione facta & hoſtium præſidiis in inſulam quam Danubius efficit, arci vicinam, ex oppido ea nocte deductis, Albanus ad Cęſaris pręſcriptum duas Germanorum cohortes introduxit.

Cæſar prioris diei inſtitutum & ordinem in proficiſcendo ſeruans, poſtridie confecto,quod ſupererat,ad Neoburgũ itinere, inter prædia & hortos ſuburbanos caſtrametatus eſt. Ibi quum Lantgrauianos milites ex inſula ad ſe produci atque arma tradi iuſsiſſet,vt clementia & lenitate in eos vſus eſſe videretur, magis conſuetudine ſua & beneficio, q̃

merito eorum cohortes conſeruaturum oſtendit, quibus iure belli, quòd contra Principem ſuum arma tuliſſent, vitam potuiſſet eripere, & iureiurando adactos ne aduerſum ſe armis contenderent, omnes exauctoratos dimiſit. In tribunos & centuriones dixit non velle ſe grauiore ſupplicio animaduertere, ꝙ pro certo cognoſceret, eos per fraudem circunuentos ad id bellum veniſſe. Illi verò non circunuẽtos modo, ſed à principibus per vim quoque dixerunt ſe ad arma fuiſſe compulſos. Eo triduo Cæſar exercitum militari more recenſuit. Equitum cenſu habito, repertus eſt numerus millium circiter nouem, peditum circiter quadragintaquinque. Et quanuis fama, vt ferè accidit, numerum vinceret, deſiderati tamen fuêre nonnulli, quos prȩlia, morbus & vulnera conſumpſiſſent.

Dum eo ſtatu Neoburgi res eſſent, ciuibus ſacramento rogatis, præſidio poſito, & qui cum imperio præeſſet relicto, commodiſsimam ſibi belli rationẽ ratus eſt, ſi caſtra ex eo loco moueret,

ac nullam moram ad inſequendum hoſtem inferret, hoc ſperans vt data loci æquitate, occaſionem aliquam dimicandi nanciſceretur, quam omnibus modis quærendam ſibi ſtatuerat. Itaque pontibus in Danubio factis, & eo qui ad Neoburgum erat, trāſportatis militibus quū Danouertum ire conſtituiſſet, quò omnem commeatum totiusq́; belli apparatum (vt ſupra docuimus) hoſtes contulerant, bidui itinere confecto ad Marcshaimium pagum millia paſſuum quatuor ab hoſte conſedit. Breue quidem erat itineris ſpacium, ſed quòd continua deńſiſsimaq́; ſylua intercederet, difficile & impeditum, multisq́; locis ita anguſtum vt vix ſinguli carri ducerentur. Huius ſyluæ denſitas initium capiebat à caſtris noſtris, atque inde continuo dorſo perducta, hoſtium vallum penè contingebat. Ipſa à ripa Danubii orta quæ ſiniſtrum latus noſtrum claudebat, recta fluminis regione pertinet ad Danouertenſium fines, hinc ſe flectit dextrorſum diuerſa à flumine regione, contingítque Monhamium oppidulum à

caſtris noſtris circiter octo milium intervallo. Cæſar explorata ſylua quanuis cum ſumma difficultate & periculo per eam exercitus duceretur, quum decreuiſſet tamen ad hoſtes quàm proximè poſſet accedere, &, ſi loci natura permitteret, iuxta eos caſtra ponere, omittendum ſibi conſilium non putauit, eo quòd ſyluis noſtrorum præſidio occupatis, præmiſsiſq; peditum aliquot expeditis cohortibus, tuta ac libera tranſeundi facultas concederetur. Itaque Albanum ad ſe vocat, & conſilii ſui rationem exponit, docet in primis quantopere interſit hoſtem munitiſsimo loco eiectum, frumento & commeatu quem Danouerti comparauerat, abſtractum, ad parem belli conditionem vocari, imperat vt locum intra ſyluas & illorum caſtra mediũ diligenter exploret, quæq; ibi comperiſſet quàmprimum ad ſe reuerſus renunciet. Cognito eius conſilio Albanus, eo qui inſequutus eſt die, equitibus aliquot leuioribus in ſylua oportunè diſpoſitis, euocatiſq; beneficiariis nonnullis, quos ſecum duceret,

ad finem ſyluæ peruenit, hoſtium vallo tanta propinquitate obiectum, vt campeſtria minora tormenta facile adigerētur. Ipſe relicto equo non maiore quàm quatuor aut quinq; comitum præſidio, paululum extra ſyluam egreſſus, ex editiore loco vnde erat propinquus & commodus in caſtra deſpectus, regionem & ſitum ſtudioſiſsimè contemplatur. Illi in operis munitione tam ſedulò erant occupati, vt ne aſpexerint quidem aut vllum eò tormentum emiſerint, quum tamen in omnes partes creberrimè conſueſſent diſplodere. loci autem natura hæc erat quem caſtris illi delegerant. Erat inter ſyluam quam inter noſtra & hoſtium caſtra mediam interiacere magna propinquitate docuimus, planicies circiter paſſuum quadringentorum, huius extremitatem aſpera ac directa ferè decliuitate deiectus excipiebat, à cuius ima radice pari accliuitate in faſtigium ſurgebat aſcenſus. ſuperiorem partem cliui vſque ad ſyluam quæ cum ſiniſtro caſtrorum latere denuo cōmittebatur, perpetua foſſa & vallo munierant, caſtris

ſtris ibi denſiſsimis in aduerſa fronte lo-
catis, qua vallis continuo iugo, cliuum
vtrunque alteri aduerſum, in longitudi
nem perducebat. Ea igitur vallis inſtar
foſſæ à fronte munimentum præbebat,
dexterum latus Danubius, à tergo tege-
bat oppidi murus, & riuus in Danubiũ
influens. His rebus fiebat, vt caſtris po-
nendis nullus idoneus ibi locus nobis
relinqueretur, quum & anguſtior eſſet
quàm vt tantam multitudinem caperet,
& apertior, quàm vt tormentorum peri
cula vitarentur, quæ illi contrà & muni-
tione & loci natura tuti repellerent.
Duo hæc incommoda aquandi quoque
difficultas augebat. nam præterquam ꝙ
nulla in ſyluis aquæ copia eſſet, fluminis
aluei præruptæ crepidines aquationem
impediebãt. Albanus perſpectis his om
nibus, quantum ei facultas dari potuit,
ad Cæſarem reuertitur, & quæ cogno-
uiſſet exponit. Cæſar vbi hac ratione ſe
hoſti nocere poſſe diffideret (nam ad cõ
ficiendum negotium ſyluæ magnam mo
ram iniiciebant) & temporis belliq; du-
cendi longinquitatem veritus, conan-
dum

dum ſibi putaret quibus modis hoſtem eo loco pulſum à Danouerto abduceret, ex locorum ſcientia conſilio capto, ad lęuam relictis hoſtibus Vuendingam cum omnibus copiis iter habere conſtituit.

Hoc loco admirabilem Cæſaris induſtriam commemoratam volui, qua longo tempore vſus eſt vt Germanię ſitũ in animo cõprehenderet. Eius prouinciæ, etſi meliorem partem crebris itineribus peragrauerit, exactiſsimã ſibi cognitionem parauit ex tabula in qua vniuerſam accuratè depictã tanto ſtudio & perſpicacitate (ita enim temporũ & negotiorũ ratio poſtulabat) cõtemplatus eſt, vt ſingulas vrbes, municipia, arces, ſyluas, flumina animo velut inſculpta habeat, addita ſpacii, quod inter ſingula intercederet, certiſsima dimenſione. ita vt non oculis in pictura luſtraſſe, ſed pedibus vniuerſam peragraſſe credatur. Qua deſcriptione cõfiſus, in ea perpetuo ſententia erat, ſi ad Vuendingã exercitũ admoueret, fore vt nõ procul à Nordlinga ſupra hoſtẽ agro fertili & copioſo, nulla re-

rum

rum neceſſariarũ anguſtia premeretur, hoſtem verò commeatu & frumẽto intercluderet. Dum hæc maturè ſecum deliberat, nullum ferè tempus intercedebat, quin leuioribus prælijs in ſylua decertaretur. In proximos enim pagos & villas prædandi frumentandiq́; cauſa milites excurſionibus factis, & equites, quanuis rariores, pabulatum egreſsi, mutuò ſibi occurrebant, nullo grauiore tamen vtrinque aut accepto aut illato incommodo. Vbi ea dies quã Cæſar profectioni conſtituerat, venit, denſiore nebula exercitum caſtris eduxit, & quo cõſueuerat ordine eius diei itinere confecto, ad Monhamium ea nocte caſtra locauit. Neoburgiæ ditionis id eſſe municipium ſupra oſtendimus.

Poſtero die, quòd affectus podagra, tenuiore valetudine vteretur, quàm vt equi concuſſationem ferre poſſet, eo loco diſcedẽs lectica vectus eſt. Quumq́; à Vuendinga non procul abeſſet, magiſtratus omnis qui oppidum dederet, in itinere occurrit, miſſus ab Albano qui cum primo agmine anteceſſerat.

Interea

Interea nũtiatum eſt à nouiſsimo agmine noſtro Lãtgrauianos equites ſubinde videri, qui propius noſtros adequitarent. Qua re cognita Cæſar, properè expeditas aliquot cohortes manuariis tormentis inſtructas eò traducit, quibus extremum agmen confirmetur. Tale enim militum genus locorum & itineris illius ratio magis poſtulare viſa eſt, quod aptiores eſſent ad hoſtium impetus repellendos ſi in noſtros conarentur irrumpere. At quòd propius non acceſſerint, nec iter noſtrum vlla mora tardauerint, Cæſar quoque nulla maiore diligentia adhibita, loco caſtris idoneo capto, inter Vuendingam & Norlingam conſedit. Conſuetudo itineris exercitus noſtri hæc erat. Prima acies expedita in armis erat, donec ſecunda in caſtra veniret. hæc rurſus inſtructis ordinibus vt erat conſtituta permanebat, dum prima, de ſtatione ad quietem deцederet, expectabatq́ tertiæ aciei aduentum. vbi ea quoque iam conueniſſet, tum demum ſimul omnes in contubernia ſe recipiebant. Hoc inſtitutum

diligẽtiſsimè ſemper toto hoc bello ſer-uatum eſt. Eo die ex fama & nunciis Cæſar cognouit cohortes hoſtium duas à ciuibus in oppidum Norlingam eſſe receptas, cuius facti grauiter eos poſtea pœnituit, quemadmodum in deprecatione culpæ animaduerſum eſt, quum impetrata pace & à Cæſare in deditionem oppido accepto, hoc potiſsimum nomine ei ſeſe purgare ſtuderent. Interim de hoſtium conſilio aut loci mutatione Cęſar, quum aliud nil reperire poſſet quàm duas illas cohortes Norlingæ præſidio miſſas, equites leuioris armaturæ nonnullos exploratum emittit. hi mox ad ipſum reuerſi pedeſtrium copiarum & impedimẽtorum partem aliquam cum duabus equitum turmis ſe conſpicatos renuntiant, nihil tamen certi affirmare poſſe quas in partes conferant iter.

Qua re nunciata, Albano imperat, vt prima luce pro caſtris exercitum inſtructum habeat. Non ita multò poſt alius rumor allatus eſt, hoſtes cum omnibus copiis ad caſtra noſtra contendere, neq; iam procul abeſſe. Hic nuncius quòd

paulò

paulò ante diluculum veniſſet, in cauſa fuit vt maturius copiæ producerentur, & acie inſtructa pro caſtris conſiſterent. Is dies tam denſa nebula fortè illuxit, vt noctem ipſam tenebris adæquare videretur. Cæſar ſine mora equum conſcendit, & quòd dexterum pedem podagra affligeret, linteo ab ephippio penſili implicitum circunferebat, atque ad hunc modum totum diem inter ſuos perequitans, vim morbi & cruciatum ſuſtinuit. Multo denique die quum nebulæ denſitas nil euaneſceret, nec hoſtium modò nobis conſpectum adimeret, ſed ne noſtræ quidem acies ipſæ, quæ exiguo inter ſe ſpacio conſtiterant, mutuo ſe viſu percipere poſſent, Cæſar in tentorio Albani ientaculo ſumpto, expectandum ſibi ſtatuit quid hoſtes conſilii caperent, & quidnam propoſiti aut voluntatis ad dimicandum haberent. Cum tribunis enim & reliquorum ordinum ducibus egerat, ne dum nebula fugaretur milites conquieſcerent, ſed confeſtim pedeſtres & equeſtres copiæ vniuerſæ

in aciem educerentur, vt ſi ad pugnam illi procederent (quæ noſtra tunc erat opinio) expeditiore exercitu aduenientes exciperet. Sin commutato conſilio aliam viam & rationem inſiſterent, ipſe loco æquo pugnandi poteſtatem hoſtibus faceret, quam Lantgrauius nobis vltro ſæpius erat facturum pollicitus. At illi, nebulæ occaſione & beneficio vſi, duabus itinerũ anguſtiis ſuperatis, quarum difficultatẽ nec equites noſtri explorauerant, nec ipſi Germani qui ſub Cæſare militabant, quicquam cognouerant, copiisq́; omnibus riuum quendam prærupta & impedita ripa traductis, editiores colles occupauerant, à quibus, quòd ita ferret locorum natura, & noſtros prohiberi, & illos expedito itinere Norlingam petere nihil iam erat negotii. Ad eas res conficiendas neq; temporis illis occaſio defuit neque celeritas. ſiquidem ea tota nocte continẽter ierunt, & nullam inſequentis diei partem dum nebularum caligine tegerentur itinere intermiſſo, maiorem ſanè diligentiæ ſuæ fidem fecerũt, quàm ego

ſaltem

ſaltem ab eo hominum genere expectaſſem: vt enim proceriore ſunt corporum ſtatura, tardiores quoque videntur & minus impigri. At quum in rebus adminiſtrãdis toto hoc bello egregia ſemper fuerint induſtria vſi, exercitum in proficiſcendo ratione & ordine optimo duxerint, tormentis & ſarcinis nihil diſperſis, ſed in locum ſuũ oportunè contractis, omnem de ſe tarditatis & inertiæ opinionem diligenti ſolertia vitarunt. Huius quoque belli conſuetudine, & alia in eis pleraq; obſeruauimus, quæ obiter hic commemorare volui. Exercitum omnem in officio ac diſciplina militari arctiſsimè continent, loca idonea capiunt, caſtra muniunt, quarum rerum præ cæteris maximam ſibi ducunt rationem habendam. Ad Norlingam enim locum caſtris delegerant natura ipſa quàm opere longe munitiorem, cuius commoditatis ſolatio aquæ inopiam ſubleuabãt. Hoc ipſum ad Ingolſtadium & ad Giengam poſtea contigit, nam & ibi aquandi difficultatem operis & loci munitioni poſthabuerũt.

Leuiora prælia ſingulari arte & rei militaris ſcientia conſerunt, per leuiores equites initio facto, quos illi ab armorum ſimilitudine nigros appellant, ea enim iis nigra ſunt, manicæ loricatæ, caſſis cẽtonibus aut ſubcoactis intecta, ſclopus dodrantalis, & venabulum. his ſimul omnibus ſcienter & commodè vtũtur, peditibus in pugna laborantibus oportunè ſubueniũt, tormentorũ vſum quàm maximum habẽt. Commeatibus verò hoſtẽ intercludere, vias obſidere, eruptione nocturna laceſſere, in ſyluis inſidias ſtruere, aut huiuſmodi rerum quicquam adminiſtrare, quæ aſtu magis quàm robore aut virtute nituntur, nec illis admodum curæ fuit, nec quiſquam è nobis eſt qui ab eis tale quippiam factum eſſe compererit. Hæc obiter attingere volui, quòd non alienum eſſe videretur hoc loco de moribus huiuſmodi & diſciplinis facere mentionem.

Hoſtes, vt ſupra memorauimus, noctis & nebularum tenebris antea tecti, ad meridiem primum reddita ſerenitate, circa Norlingam in collibus quos oc

cupaue-

cupauerant, procul à nobis conſpiciuntur. Erat inter noſtrum atque hoſtium exercitũ difficilis tranſitu riuus, ripiſq; vliginoſis & impeditis, quo loco equites vadum repererant, non latior quàm quo viceni tranſirent. pedites verò pectore ſolo ex aqua extarent. hic riuus qꝫ ſub hoſtium caſtris & infima collium radice ferretur, difficiliorem aditum noſtris præbebat. Clarius deinde ſplendẽte iam ſole cum Cæſar pro caſtris copias in armis paratas teneret, & pede linteo viatorio, quo fulciebatur, inuoluto, obequitaret, Albanus accurrit, dicit, videri ſibi hoſtes animo eſſe ad dimicandum paratos, itaque ipſe quid fieri velit, oſtẽdat. Ea recognita Cæſar, per me, inquit, non ſtabit quo minus fauente Deo, fiat pugnandi poteſtas. Hęc quum dixiſſet, celeriter vt erat in equo, nã podagræ vitium deſcendere prohibebat, arma induit, & acies procedere iubet. eas autem ad hunc modum inſtruxerat. Erant in prima acie, quã Albanus cum Burano ducebat, equitum millia tria, Hiſpanorum peditatus vniuerſus, & quem

è Flandris Buranus adduxerat, ita vter= que conſtitutus, vt tripartito in hoſtem ſigna inferrent. horum numerus erat ad ſedecim aut ſeptemdecim millia. Secun dam aciem Itali pedites, & Madrucia= næ cohortes bipartito inſtructam tene= bant. In eo loco ipſe erat Cæſar cum au licorum nobilium turmis, & quatuor Flandrenſium vexillationibus. Erant & Maximilianus Auſtriacus, Ioannes Brã= denburgenſis, & Filibertus Allobrogũ Princeps, ſui quiſq; agminis duces, hunc enim toto hoc bello domeſticorum & illuſtrium equitatui Cæſar præfecerat. Pedites circiter quindecim, equites tria hominum millia expleuerant. Tertia acies ex Georgianis cohortibus inſtitu= ta, peditum circiter octo, duobus equi= tum millibus conſtabat. huic præerant Albertus & Pruſſus. At Cæſar, quòd eũ diem prælio conſtitutum crederet, vi= roſq; fortiſsimos tribunos & primorum ordinum centuriones pari virtutis opi= nione & gloria ornandos cenſeret, ſecũ= dæ aciei tertiam ita adiunxit, vt æquo fe rè ſpacio vtræq; procederent, ne exopta

tiſsimo

tiſsimo tempore & loco quem ſuę quiſque virtuti probandæ ſperauerat, eminus ſubſequi viderentur. Equitatum omnem in ſingulas acies ita diſtribuerat, vt rei militaris ordo ac ratio poſtulabat, ferētariis & armaturæ nigræ equitibus ſuo loco diſpoſitis, haſtatis quoque certis quas defenderēt partibus, attributis.

Lanoius Sulmonenſiū Princeps equitatus leuis armaturę pręfectus, nondum etiam diſcuſſa nebula, cœperat cum hoſtibus leuiorem pugnam cōſerere, ea ne tum quidem ſuperſederat quum Cæſar inſtructas copias vniuerſas in hoſtē eduxit. Qua de cauſa Buranum cum equitatu præmittit, & quid ſui conſilii ſit, exponit. Iubet eum propius ripā accedere, vt ſi vſus ferat, eò celerius & expeditius riuum tranſeat. Dum hęc geruntur, ſecunda acies primam e veſtigio ſubſequuta, æquo propemodum ab ea interuallo ad ripam conſtiterat. Cæſar cum Albano tribuniſq; aliquot quum in proximum tumulum, vnde proſpici poſſet, aſcendiſſet, & quibuſdam indiciis pro-

cul animaduertiſſet, è collibus in planiciem deſcendendi ſpeciem & opinionē hoſtes præbere, pugnæ ſibi copiam factam arbitratus, cuius cupiditate omnes arderent, expeditis militibus aliquot, qui aquam tranſierant, iubet, vt leuiore prælio cum hoſtibus inito, omnes in planiciem citra colles eliciant. Verum vbi neque in planum illi deſcenderent, neq; ab incepto itinere deſiſterent, ac primū eorum agmen circa Norlingam in caſtra iam perueniſſet, ipſe ſuperioribus conſiliis & ſpe dimicandi fruſtratus, acies longius procedere vetat, Buranum reuocat, qui cum equitatu ſuo exploratа ripa, vado anguſto ac difficili iam flumen tranſibat. Res erat ferè ad occaſum ſolis perducta, nec dubium eſt quin bellum eo die potuiſſet finiri, niſi nebula tantiſper eos occuluiſſet, dum anguſtias & præruptas valles euaderent, & collibus occupatis, eo loco caſtra locarent, quem minores etiam copiæ ſine maiore negotio aut periculo defendere poſsēt. Itaque vnum hoc ad rei bene gerendæ, occaſionem, non animus autem vel ſtu-

dium Cæſari defuiſſe videtur, quem nō madidi peditatus noſtri impedimentum, non fluminis tranſeundi difficultas, non loci iniquitas tardabant, quo minus hoſti, ſi vellet, pugnandi copiam faceret. Sed quòd nox ſuberat, neque ſatis temporis ad dimicandum ſupereſſe videret, exercitum in caſtra reduxit. Idem hoſtes faciunt, compluribus tamen ea nocte è ſuorum numero deſideratis, carriſq; multis & impedimentis, quæ ab equitatu noſtro intercipiebantur, amiſsis.

Poſtridie eius diei Cæſar, ex eo loco propius hoſtes progreſſus, ad paſſus mille quingētos ab eorum caſtris conſedit. Equites & antecurſores noſtri cum hoſtium equitatu, leui prælio facto, quòd temporis tanta eſſet exiguitas vt vix caſtris locādis ſpacium daretur, noctis interuentu ſuperſederunt. In eo pręlio ab Ioanne Brandenburgenſi & equitibus circiter triginta quos è ſuis adduxerat, fortiſsimè pugnatum eſt. Vtrinque aliquot cecidere, ex hoſtibus tamen interficiuntur melioris notæ nonnulli, in his

ex Brantſuicenſi domo illuſtris quidam, coniuratorum fidem & arma ſequutus, multis grauibusq́ꝫ vulneribus cõfectus, paucis poſt diebus Norlingæ mortuus eſt. Cæſar eo loco ad dies aliquot commoratus, nulla ratione hoſtes ad pugnã elici poſſe exiſtimans, quòd loco muniſsimo & ad rem frumentariam maximè oportuno ſe continerent, arteq́ꝫ magis & induſtria quàm aperto Marte deiici eos inde ac turbari debere, commutandam ſibi belli rationem & aliud conſilium ineundum putauit. id erat huiuſmodi. Danubius ad res gerendas vſque adeò videbatur idoneus, tantamq́ꝫ facultatem & momentum vtriſq; afferre, vt belli ſumma, & potior victoriæ pars poſita in eo eſſe crederetur. Quũ enim in illius fluminis ripa firmiſsimæ quæque & opulentiſsimæ ſitæ ſint vrbes, ponteſq́ꝫ ab iis plurimi in Sueuos & Bauaros pertineant, (oppida autem & arces omnes ab Vlma Danouertum vſqꝫ fœderati in armorũ ſocietatem illexerãt) hac ratione fiebat vt & commodiore re frumentaria hoſtes vterentur, & ab Auguſta & Vlma

Vlma Cæſarem facilius prohiberent. Simul his omnibus animaduerſis Cęſar ꝙ magnam ſibi laudis opinionem, illis verò præter dedecus & infamiam, graue etiam detrimentum afferri putaret, ſi ipſe Danubio occupato tantis illos cõmoditatibus intercluderet, in Auguſtanorum & Vlmenſium agros quàm latiſsimè poſſet excurreret, & prędandi vaſtãdiq́; cauſa liberius peruagatus q̃ maximum iis terrorem inferret, quos fœderatorum omnium firmiſsimos potentiſsimosq́; ſciebat, maturè cõſilio capto rem vtilem, & ad præſentem fortunam cum primis accommodam aggreſſus eſt. Imperat vt ex eo die dies cõtinuos aliquot ad ſpeciem & opinionem milites noſtri ad hoſtium ſtationes euagentur, ac frequẽtes ſe illis oſtendãt. Hac ſimulatione animis eorum cõfirmatis, Octauium Farneſium cum Italicis copiis & equitatu, additis duodecim tormẽtis æneis & Schamburgianis cohortibus, ſilẽtio prima nocte Danouertum tribus à caſtris noſtris miliaribus miſit, & iis quæ fieri vellet imperatis, conquieſcere ante iter

con-

confectum vetuit. Octauius ſumma mi-
litum cupiditate & ſtudio ante ortum
ſolis, vt erat imperatum, Danouertum
peruenit, omiſſoq́ tormentorum vſu,
quum ſcalis modò ad murum admotis,
milites ſuburbia oppugnare aggreſsi, ce-
leriter & magno impetu expugnaſſent,
oppidani repentino malo perterriti, de-
ditione facta, portas aperiunt. Cohor-
tes præſidiariæ duæ, quas Saxo & Heſſus
introduxerant, veritæ ne omnino ſpes
fugæ tolleretur, vltimas oppidi partes
continenti impetu petunt, & per pon-
tem ex oppido eiectæ profugiũt. Quam
ego paſsim cohortem voco, Hiſpani-
cum exemplar vulgata cõſuetudine ve-
xillum nominat. Ea pro ratione milita-
ri ac Germanorum inſtituto, quadrin-
gentorum militum numerum non ex-
cedit. Erant autem huiuſmodi cohor-
tes quas præſidio Cæſar vbique relin-
queret. Danouerto capto, præſidium
duarum cohortium oppidi tuẽdi cauſa
Octauius poſuit, ipſe cum tormentis &
reliqua parte copiarum in caſtra reuer-
ſus eſt. Ea res tanta celeritate ac diligen-

tia eſt adminiſtrata, vt priuſquam illi de mittendo ſubſidio neceſſariiſque rebus prouidendis quicquã cogitare poſſent, iam acta res eſſet, & poſtridie primum de oppidi expugnatione nuncii afferrentur: quod in tanta propinquitate caſtrorum quum non amplius mille quingenti paſſus intercederent, mirum ſanè videri poterat. Eo confecto negotio, quod ob eas quas ſupra memorauimus cauſas non minus commodè quàm oportunè ſibi accidiſſe Cæſar putauit, vaſis militari more conclamatis, eo die Danouertum peruenit, caſtriſq; ad oppidi muros in ripa Danubii conſtitutis, ea ibi nocte quieuit.

Hoſtes toto hoc tempore exercitum caſtris continuerunt, nec vlli à nobis equites viſi ſunt, præter eos quos in ſtatione quotidie habere conſueſſent. Equidem admiror nihil ab iis pręſtitum eſſe, quarum rerum oportunitate maxima inuitarentur. Poterãt enim equitum multitudine circunfuſa (qua tantum valebant) extremum agmen noſtrum carpere & impedire, aut quum

eſſent

eſſent regionum ſcientiſsimi, impeditis ac præruptis aliquot anguſtiis nos adoriri, in quibus continenti itinere ſuperandis, aut ordines noſtri neceſſariò turbarentur, aut iis ſeruatis longa temporis mora dum primi tranſirent, reliqui ſubſiſtere cogerentur. Qua ratione futurũ erat, dum iuſtũ eius diei iter, quod propoſitum eſſet, non conficeretur, vt iniquiore loco caſtra locanda eſſent. Vnde tot incommoda plerunque euenire conſuerunt. At Cæſar, qui hæc ante prouiderat cogitaratq; in itinere poſſe accidere, ad omnes caſus ſubſidia comparauerat expeditis Hiſpanorum & Italorum cohortibus per ſtationes oportunè diſpoſitis, & nouiſsimo agmine validiore militũ manu firmato, quòd pro anguſti itineris ratione, neceſſariò crederet in longũ protenſa acie ſibi eſſe proficiſcendum. Poſtero die Danouerto diſcedens aduerſo flumine Tilingã proficiſcitur. Id oppidum in ditione Antiſtitis Auguſtani ſitum, ſed ab hoſtibus eo tempore occupatum Danubius alluit, ligneo ponte coniunctus. Iter erat ſpacioſum & ex-

peditum aperta porrectaq́ꝫ planicie me-
dia, inter Danubium & latiores quaſdã
denſioresq́ꝫ ſyluas, quæ exercitũ noſtrũ
ab hoſtium caſtris diuiderent,& recta re
gione ad Prentium amnẽ pertingerent,
is tribus ſupra Tilingam miliaribus Da
nubium influit, quo ſpacio & planicies
ipſa protenditur. Erant in ſyluis itine-
ra circiter tria, quibus itineribus ab ho-
ſtium caſtris Tilingam perueniri poſſet.
Aduentu Cæſaris cognito,hoſtes qui id
oppidum vnius cohortis præſidio tene-
bant,proiectis omnibus fugæ conſilium
cœpere. Magiſtratus & ciues ſimul atqꝫ
ſigna noſtra viderunt, libentiſsimis ani-
mis & Cæſarem & Antiſtitem ſuum re-
cipiunt. Etiam ex Haiſtadio,quod op-
pidum in Iſtri ripa poſitum arcem ha-
bet egregie munitam, de deditione ad
eum legati veniunt, quæq́ꝫ imperauerit
ſe cupidiſsime facturos pollicentur.Ip-
ſe inter Tilingam & Laugingam ea no-
cte conſedit, quæ oppida millium qua-
tuor interuallo ab inuicem diſtãt. Cum
tribus militum cohortibus quas ad Lau
gingæ cuſtodiam hoſtes locauerant,præ

ſidium quod Tilinga profugiſſe docuimus, ſeſe coniunxerat. Erat illud oppidum quoq; ſatis munitum, fluminis ripa & ponte firmatū. Ciues & qui magiſtratui præerant, miſsis ab Albano vt ſe dederent nunciis, ſuperbè reſponderūt, ꝙ poſtridie Saxonē ipſum & Lantgrauiū ſubſidio ſibi venturos pro explorato haberent, ad nullas ſeſe conditiones velle deſcendere. At ea ipſa nocte, quæcunq; ad proximi diei oppugnationē opus eſſent, quum ſedulò à noſtris comparari cognoſcerent, mutato conſilio & ab altera parte qua pons erat, militibus ante lucem recto Auguſtam itinere dimiſsis, ex oppido egreſsi manus ad Cæſarē tendere, & ſupplices pacē ab eo petere cœperūt, ſeſeq; paratos dicere vt imperata faciant, nec idcirco prius id à ſe præſtari potuiſſe ꝙ à coniuratorum pręſidio prohiberentur. Huius oppidi exemplo Gudelinga quoq; ad Prentiū ſita, Cæſaris ſe voluntati permiſit. Quibus in fidē receptis cōtinuò renunciatū eſt hoſtes cum omnibus copiis Laugingam iter habere. Cæſar huic famæ & nunciis eò facilius
fide

ſide adhibita, ꝙ pridie eius diei milites qui oppidum præſidio tenebāt, ita fore prædixerant, protinus arma expediri atque aciem inſtrui iubet. Erat in itinere locus nec anguſtus adeò, nec impeditus, propter oportunitatē tamē rei gerendæ ſatis idoneus: ꝙ eò, ſi ad nos contenderent, neceſſariò eſſet illis perueniēdum. Quem ſi occupaſſet Cæſar & copiis inſtructis communiſſet, futurum exiſtimabat, vt vel præliū cum aduerſariis committeret, vel noſtros illi eo loco conſpicati, quum vlterius progredi non auderent, magno cum dedecore retrocedere cogerentur. Si pugnā capeſſerēt, iniquitas loci offenderet, ſin detrectarent, ſpe ſua & propoſito deiicerētur. Itaq;, ꝙ vtrunque illis conſilium periculoſum eſſet, & anceps, is dies, vt mihi videtur, facile de controuerſiis noſtris & pertinaciſsima contentione diiudicaſſet. Dum hæc in animo Cæſar perpēderet, Lauginga iam in poteſtatē redacta, ex dedititiis cognoſcit, Saxonē & Lantgrauiū cum ſubſidio nō modò nō expectari, ſed ea ipſa nocte Schertelū quoq; cū ſexaginta equitibus

adfuiſſe, qui oppidi munitionibus parũ confiſus, præſidium inde Auguſtã in tu-tum deduxiſſet. Qua re intellecta Alba-nus, vt Cæſar præceperat, Ioannem Ba-ptiſtam Sabellum properè cũ equitatu Pontificio mittit, qui Schertelum eueſti gio perſequatur. Huic adiungit Aldanã & Aguilerã cũ expeditis equitibus Hiſ-panis quibus erant præfecti, & Nicolaũ Siccum cum Italis eiuſdẽ armaturę equi tibus. Horum tãta celeritas & ſtudium extitit, vt quatuor illas cohortes quę lõ go tempore anteceſſerant (nam Scherte lus cum equitatu velocius ad ſalutẽ con tenderat) ad millia paſſuum aliquot con ſequuti, acriter cum iis præliũ inierint, paucisq́; eorum interfectis, pluribus ca-ptis, incolumes ad vnũ omnes in caſtra redierint, relatis ad Cæſarẽ tribus æneis tormentis, quę Schertelus Lauginga Au guſtam auehenda curauerat. Cæſar dua bus Laugingę præſidio cohortibus con-ſtitutis, copias omnes Prentium amnem traduxit, caſtrisq́; in ripa idoneo loco cõ munitis, Soltũ pagus appellatur, tribus ab Vlma miliarib⁹, in animo habebat eò cum

cum exercitu proficiſci. Nam φ hoſtem anteuerterat, Iſtrum occupauerat, oppidaq́ꝫ ad eius fluminis ripã poſita in poteſtatem ſuã redegerat, Vlmẽſes ipſos premere voluit, & agrum populationibus prędationibusq́ꝫ vaſtare, Lantgrauium ſperans aut Vlmam compelli, aut ea intercludi poſſe, aut ſi obſeſsis auxiliũ ferret, quod neceſſariò illi conandum omni ratione cenſebat, ęquiòre multo rerũ omniũ conditione cum eo ſe conflictuꝛum. His conſtitutis rebus poſtridie manè, ſigno iam profectionis dato, equites quos pridie eius diei ſpeculatum emiſerat, ad eum accurrunt, nunciant, hoſtes caſtra mouiſſe, & in itinere eſſe. Qua re audita Cæſar, dum de hoſtium itinere & cõſilio certior fieret, ex eo loco ſibi diſcedendum non exiſtimãs, maiorem equitum numerũ mittit, qui obſeruent quas in partes iter faciant. At hæc ſerò tandẽ nunciata fuiſſe compertum eſt, pridie enim veterib⁹ ad Norlingã caſtris egreſſi duo miliaria confecerant, & eius diei quoq; parum itineris ſupererat, ad locũ quẽ caſtris ponẽdis delegerãt. Nõ tamẽ

omnino ſpeculatorũ vitio id accidiſſe credendum eſt, nam quum exteri eſſent & regionum imperiti, non ita facile iudicare potuerunt, quo iter ſuum illi conuerterent, quũ alioqui & è noſtris Germanis pleriq; ſpeculatũ egreſsi, multumdiu'q; hæſitantes certi quicq̃ cognoſcere ſe aut affirmare poſſe negarent.

Interea hoſtes tam longe proceſſerãt, vt Albanus ad exploranda loca profectus, ſigna canẽtia clare exaudiret, & antecurſores iã præſentes conſpiceret. Cæſar cũ paucis equitibus & Albano tumulum quendã aſcendit, cui primũ hoſtiũ agmẽ iã erat propinquũ. id illi cõfertiſſima acie promouebãt, magno equitum numero in ſiniſtro cornu cõtra planiciẽ obiecto, pedeſtrib⁹ verò copiis ad dexterũ latus quod ſylua tegebat locatis. Lãtgrauius noſtros in tumulo conſpicatus, tormẽta, quę aciem pręcedebãt, magno impetu diſplodere cœpit. Horum enim peritiã & vſum nõ ſine magna iactatione ipſe ſibi arrogare cõſueuit. Equidẽ ignoro cui potiſsimũ ex aduerſariorũ ducib⁹ ea tribuẽda ſit gloria, illi certe toto hoc

bello

bello ſumma cum dexteritate & ſolertia
tormentariũ officiũ exercuerunt. Cęſar
hoſtiũ ordine & itinere perſpecto quũ
Giengam eos properare cognoſceret (id
oppidũ ad Prentii ripã circiter quatuor
paſſuum millibus aduerſo flumine à ca-
ſtris noſtris aberat) paruulis aliquot prę
liis factis in caſtra reuerſus eſt. Multi in
eam ſententiã loquuti ſunt, vt cũ hoſti-
bus eo die prælio decertaretur. Diligen
tiore tamẽ rerũ omniũ facta inquiſitio-
ne compertũ eſt, quũ de eorum aduen-
tu fama & nuncii perferrẽtur, & ad cũ lo
cũ perueniſſent, qui apertiore rarioríq;
ſylua ad pugnam videretur idoneus, ca-
ſtris ſuis propinquiores iã ipſos fuiſſe, q̃
vt ad inſtruendã aciẽ producẽdaſq; in il
los copias tẽpus daretur. Prentius enim
erat inter vtrũq; exercitũ medius, altior
q̃ vt vado tranſiretur, & copiis celeriter
tranſportandis quũ vnus aut alter pons
nõ ſufficeret, plures fieri tẽporis angu-
ſtia prohibebat. Itaq; huius rei error, ſi
quis modò coargui poſsit, in ſera explo-
ratiõe & variis ſpeculatorũ nũciis cõuin
citur. Siquidẽ rei bene gerendę occaſio,

ſi quę fuerit iam pręter volauerat quum veritas ipſa perciperetur.

Ego in multis bellis quib⁹ à Cęſare geſtis, interfui, talia ſubinde mecũ in animo cogitãs, ipſis locorũ peritis & incolis comperi diligentiã fidemq; in hoſtiũ cõſiliis & rationibus referẽdis plerunq; deeſſe: atque hac ratione non raro fieri, vt (quemadmodũ in tenebris oberrãti euenire videmus, qui dubio & cunctãti pede ſignat humũ) quũ incerta ſint quę ab huiuſmodi exploratorib⁹ renuncientur, ex tẽpore & coniectura neceſſariò conſilia capiãtur. Non auſim decernere quid in cauſa ſit, niſi ipſum hoc fortaſſe quod de P. Cõſidio Cæſar in cõmentariis ſcriptum reliquit. Is, vt inquit, q rei militaris peritiſsimus habebatur, & in exercitu L. Syllæ & poſtea M. Craſsi fuerat cũ exploratoribus pręmittitur. Prima luce quũ ſummus mons, vt à Cæſare imperatum erat à T. Labieno teneretur, Conſidius equo admiſſo ad Cæſarẽ accurrit, dicit, montẽ quẽ à Labieno occupari voluerit, ab hoſtibus teneri, id ſe à Gallicis armis atque inſignibus cognouiſſe. Multo de-

to denique die per exploratores Cæſar cognouit & montē à ſuis teneri & Helvetios caſtra mouiſſe, & Conſidium timore perterritum, quod non vidiſſet, pro viſo ſibi renuntiaſſe. Huc ego volēs digreſſus ſum exēpli ſimilitudine adductus, quòd id ad præſentem locum non ineptè facere mihi videretur. Siquidem exploratores noſtri aut nō ita lōge progreſsi, vt hoſtem conſpicerent, aut eminus conſpicati, vt timoris ſuſpicionem vitarent, pudore adducti quæ non perſpexiſſent referre, & vana etiā affingere conſueuerant. Huius rei culpam ecquis obſecro in Imperatoris aut legati negligentiam conferat?

Cæſari in caſtra reuerſo hoſtium turmæ aliquot mediā inter exercitū vtrunque planiciem perequitantes, ſe oſtēderunt, & leuiore prælio facto, vt dictum eſt, in caſtra ſe quoq; receperunt. Ea etſi vallibus aliquot impeditis & riuulis qui media interfluerent dirimerentur, erant nihilominus communitiſsima, cuius potiſsimum rei primā ſemper ab iis rationem habitam eſſe demonſtrauimus.

Eo die & quæ inſequuta eſt nocte, Cæſar concilio conuocato ſentẽtias exquirere cœpit, manendum ne eo loco eſſet, an Vlmam proficiſcendũ. Hac in vtrãq; partem habita diſputatione quũ variæ ſententiæ dicerentur, tãdem maiori parti placuit, vt poſtero die caſtra mouerentur. Ab exploratoribus enim Cæſar cognouerat, tria Heluetiorũ millia Vlmẽſibus ſubſidio miſſa, additis mille quingentis eius ciuitatis militibus, quibus copiis quantaſvis magnas Cæſarianorum vires ſuſtineri, & diutina etiam obſidione oppidum induſtriè defendi poſſe cõfiderent. Quæ quum ita haberent, Cæſari ſanè res æqua viſa non eſt, tanta hoſtium multitudine à tergo relicta, Vlmã obſidione cingere, quòd eos veriſimile erat nobis vixdum egreſsis, in eadem caſtra noſtra ſucceſſuros. Quibus occupatis neq; commeatus nobis ſupportari occluſis itineribus poſſe, neq; viciſsim iis oppidis ſubueniri quæ ad Iſtri ripã præſidiis noſtris vtcunq; firmata relinquerẽtur. Quo factum eſt, vt de tentanda Vlma Cæſar conſilio in præſentia omiſſo,

ad

ad neceſſariarum rerum cogitationem ſeſe conuerterit. Siquidem ad priſtinā belli rationem res iam redierat, dum in caſtris mutandis & conſtituendis omne certamen poſitum eſſet: quumq; ob eam cauſam ferê quotidianis prælíis conten=deretur, Albanus conſilium inibat, quē=admodum ad maiorem pugnam aliquā callidè illos pertrahere poſſet. Itaque poſtridie mane in ſylua ad paſſus ſexcē=tos vicina, ad Prētii ripam loco idoneo & occulto, trium ſclopiſtarum millium inſidias collocat, circa quæ loca illi ſu=perioribus diebus liberius vagari con=ſueuerant. Lanoio imperat, vt cum le=uioris armaturæ equitibus aliquot ad ſtationes eorum adequitet, & laceſsi=tos ad pugnam eliciat. At hoſtes vbi primum ab equitatu noſtro ſuos, qui extra vallum egreſsi erant, propelli & grauius premi conſpicerent, magnum hippoſclopiſtarum & peditum nume=rum è caſtris educunt. hos illi inſtitu=to ſuo partim confertos, partim raros ac diſperſos diſtribuunt. Lanoius ho=ſtes ad inſequendum paratos ſcienter

&in=

& induſtriè iam eò perduxerat, vbi mili tes Albanus in ſyluis abdiderat. Noſtri ſubito ex inſidiis conſurrexerũt, vtrinq; clamore ſublato pugnatũ eſt acriter, fit magna cædes. ex hoſtibus cecidère permulti, quos paſsim iacentes & per campum diiſperſos poſtea cernere licuit flauis inſignibus, quib⁹ hoc bello vſi ſunt, diſtinctos. Quanuis enim, quę iis quotidiana ferè cõſuetudo erat, in hac pugna quoq; oportunè ſatis tormentorũ emiſsione ſint vſi, graue nihilominus ipſis à ſclopis noſtris detrimẽtum illatum eſt. Equites quoq; etſi crebro & magna multitudine conferti irruerẽt, à leuiore equitatu noſtro ita fortiter ſuſtinebantur, vt vltro etiã conuerſus procurreret, & perterritos pulſosq; in fugam coniiceret.

Verſabantur enim in eo agmine variarũ gentium illuſtres & bene nati plerique, qui in eo bello Cæſari fidam ac diligentem operam nauabant. Sed quòd negligentius pleraque adminiſtrarentur quæ Albanus ſuperiori nocte ſtatuerat, receptui cani iuſſum eſt, tanta hoſtium voluntate, vt ſine mora illi quoque ſeſe

omnes

omnes intra vallum receperint.

Cæſar paucos dies ad Prentii ripam cõmoratus, vbi animaduerteret quauis occaſione prouocatos hoſtes continuo ad pugnam procedere, operam dabat vt oportunitatem aliquam nanciſceretur, qua inſignem illis calamitatem inferret. Itaq; omni Germanorũ equitatu quem in plures partes diuiſerat, in ſtationibus per ſyluam diſpoſito, expeditis Italorũ & Hiſpanorũ cohortibus in eadem ſyl=ua latenter abditis, tormẽtiſq; arborum ramis & fronde contectis, reliquas copi=as in armis expeditas tenebat, vt ſubitũ caſum expedito exercitu ſubiret. Lanoi us ad priſtinũ officium reuerſus, ad ho=ſtium caſtra accedit, prælioq; cũ eorum equitatu cõmiſſo (is duplici acie inſtru=ctus prodierat) quum cedere conſulto ſuos iuſſiſſet, illi vel inſidiis cognitis, vel prioris diei periculum veriti, non lon=gius à vallo ſunt auſi diſcedere, q̃ quo tormẽtarii globi, quorum præſidio ſe tu tos videbãt, rhedis excuſsi pertingerẽt. Magna parte diei conſumpta quũ acies inſtructas Cæſar iamdudũ teneret, ſem=

per

per, vt ipſe optabat, expectans ſi equeſtri certamine illecti iniquis locis ſe hoſtes ſubiicerent, neque, vt videbatur, lõgius progreſſuros ſperaret, exercitũ diutinæ expectationis tædio affectum, ſub noctem in caſtra reducit. hoc idem hoſtes faciunt. Ipſe longius bellum ductũ iri exiſtimans, vbi propoſitũ tenere non potuit, neque conatus diurnos perficere, ad nocturnas tunicatas inſidias animum adiecit. Madrucianas cohortes & Hiſpanicas omnes quas ſe firmiſsimas habere credebat, interulas lineas armis ſuperinducere iubet. hoc ſtratagemate ad inſidias & nocturna prælia hodie duces vtũtur, vt proſpectu tenebris ademto, permixtæ multitudinis periculum & turba vitetur. His Albertum & Pruſſum cum ſuo quenq; equitatu adiungit. Albano imperat vt cũ ea militum manu de prima noctis vigilia, ſilentio caſtris egreſſus ad hoſtem contendat. Ipſe cum reliquis copiis quas armari iuſſerat, confeſtim ſubſequitur: & quum paulò longius à caſtris proceſsiſſet, præſidioq; nobiliũ aliquot comitatus, quid fieri opor

teret

teret ab Albano nuncios expectaret, leuiter armis indut⁹ & endromide tectus, qua ſe à nocturni frigoris iniuria defenderet, ſub dio in petorito pauliſper conquieuit. id vehiculi genus eſt ab Hungaris primo inuentum, vt aiunt, ego nõ diſsimile crederem eſſe ab iis, quæ olim ciſia dicebantur, Hungari hodie patrio ſermone Coches appellant. Ad hunc modum Cęſar paratus expectabat, dum quid agendum foret admonitus, rebus neceſſariis in omnem euentum proſpiceret. Interim Albanus magna celeritate & ſtudio vſus, cum non longius quingentis paſsibus ab hoſtium caſtris abeſſet, ſtationéſque & vigilias maiori excubitorum numero auctas cognoſceret, ex re ipſa illata ſuſpicione reſtitit. Illi enim, vt fumo atque ignibus ſignificabatur, & facibus quas per agmina & inſtructos ordines diſcurrentes circunferebant, inſidias & conatus noſtros præſenſerant. Quibus rebus adductus Cæſar, & quod magni operis & laboris eſſe videretur, vel imparatos alioqui & inopinãtes inuadeṛe hoc conatu

deſtitit

deſtitit. Poſtea cognitũ eſt horis circiter quatuor priuſquam è caſtris copiæ educerẽtur, rationes & conſilia noſtra ad hoſtes per exploratores fuiſſe delata: perfacile enim factu erat vt Germani inter Germanos ſine vlla ſuſpicione tuto ac liberè verſarẽtur. His ita cõſtitutis Albanus ad Cæſarem reuerſus quæque apud hoſtes perſpexiſſet renuntiãs, re infecta ante lucem copias in caſtra reduxit. Poterat ea nocte vt ego exiſtimo hoſtibus magnum detrimentum & cædes inferri, niſi tam oportuno tempore ab exploratoribus admoniti, vigilantia ſua negotium omne turbaſſent: Is enim erat ordo præſcriptus, iiq́; milites ad nocturnã illam expeditionem inſtructi, à quibus nihil non præclarum & eximium meritò expectaretur.

Cæſar vbi ad priorem belli rationem rurſum ſeſe redactum videret, quod locis munitiſsimis hoſtes ſe continerent, neque procliuè eſſet eos inde aut induſtria elici aut viribus pelli, nouam aliquam bene gerendæ rei occaſionẽ quærere cœpit. Interim tamen nullum tem-

pus

pus intermiſſum eſt, quin tantum in pabulationibus frumentationibusq́ʒ impediendis hoſtibus noceretur, quantum labore atque ſolertia milites efficere poſſent. Omnium autē grauiſsimè nocturnas noſtrorum eruptiones ferebant. ſiquidem hæ quum cuiuis genti moleſtæ ſint, hanc certè multò duriſsimè videntur affligere.

Dum hoc ſtatu res eſſet, Lanoius cum leuioris armaturæ equitibus, & Barbanſonius è Flandrica gente illuſtris, cum parte Buranici equitatus ad opprimendos hoſtium pabulatores Cæſaris iuſſu profecti, nō procul ab eorum caſtris duabus confertiſsimis equitum turmis occurrunt, & acriter prælium committūt. Illi pauliſper morati, equitum noſtrorū impetum ferre non potuerunt, ac terga verterunt. Noſtri non mediocri terrore iniecto, multis eorū vulneratis & interfectis, capto ſignifero & ſigno relato ſuos incolumes reduxerunt. Accidit in ea pugna quod dignum memoria viſum prætermittere nolui. Eques ille à quo vexilliferum captum diximus, ſub Bu-

rano ſtipendia faciebat. Is in eo bello quod Lantgrauius in Brantſuicẽſem regulum cõcitauit, ante paucos annos eodem die huius ipſius ſigniferi fratrem ſigniferum, erepto ſigno peremerat. Hoc nimirum verſante & cõnitente fortuna, vt annorum vertentiũ vnus idem'q; dies vtriq; fratri luctuoſus & funeſtus luceſceret. His rebus geſtis, magna hoſtium multitudine cæſa, compluribus captis, vno militari ſigno relato, multis'q; ſarcinariis iumentis (quo incommodo maxi mè permouebãtur) in fuga comprehen ſis, Barbanſonius & Sulmonẽſis ſumma cum laude & rei militaris gloria ad Cæſarem in caſtra reuerſi ſunt. Bona quoq; prædæ pars ad Hiſpanos redierat, qui auiditate & ſtudio prædandi lõgius euo cati, cum Arzio tribuno in ſyluis circa eadem loca (vt iis præceptum erat) tum verſabantur. His diebus plerique nobiles aulici magis ad hoſtium caſtra perſpi cienda, quàm ex Cæſaris imperio profe cti, ſub ipſo ferê vallo cum eorum equitatu leuioribus præliis continuò decertabant: ita tamẽ vt noſtri omnibus par-

tibus

tibus ſuperiores eſſent, illi contrà maio-
re ſemper accepto incommodo ſuccum
berent.

Interea Cæſar, quum ob eas quas ſu-
pra memorauimus, cauſas de tentāda Vl
ma ſpe omni amiſſa, cõſumptis etiā lon
gè lateq́; frumentis, annonæ & pabuli an
guſtia laborare inciperet, & grauè anni
tēpus, aëriſq; infecti lues exercitum va-
letudine tentaret, aſsiduiq́; imbres loca
circum caſtra finitima vſqueadeò vicia-
rent, vt cū terræ vligine & cœno durius
q̃ cum ipſis hoſtibus milites conflictarē-
tur, quo indies augeſcente, tormentorū
vſus non modo interiret, ſed periculum
quoq; eſſet ne altius immerſa vllis po-
ſtea iumentis poſſent conuelli, commo-
diſsimū ſibi ſtatuit ſi vetera ad Laugin-
gā caſtra repeteret, quod is locus rebus
neceſſariis prouidēdis magis videretur
idoneus. Dum his incommodis exerci-
tus defatigatur, idem quoq; pagus Geor
gii à Reghenſpurg viri fortiſsimi, cuius
opera Cæſar omnibus bellis optima fi-
diſsimáque ſemper fuerat vſus, morte
nobilitatus eſt. Is multos dies grauiore

morbo ex frigore & labore implicitus, magno ſui deſiderio vita exceſsit. Circa eadem ferè tempora Alexander Farneſius purpurati ordinis vir, à Pontifice ad Cæſarem legatus, per cauſam valetudinis, in Italiam rediit.

Cæſar, quo conſueuerat ordine Laugingā venit, nulla ab hoſtibus facta pugnandi ſignificatione, equitibus duntaxat circiter ſexcētis emiſsis, qui lentius nouiſsimum agmen noſtrum inſequuti, eminus ſe nobis ſubinde oſtenderent. Eo quoq; die pleriq; exiſtimant, Saxonē & Heſſum magno ſuo commodo & meliore conditione potuiſſe nobiſcum cōfligere, quòd paucis ante diebus quindecim Virtenbergenſium millium aduentu, quos agreſtes illi appellant, copias auctas haberēt. At illius regionis agreſtes, eo ſunt robore & animi fortitudine, vt non ita multis retro annis cum viginti quatuor Heluetiorum millibus congreſſi, exercitu eorū pulſo & ad internecionem deleto, inſignem belli gloriā reportauerint. Quibus tamen auxiliis confirmati, quū maiores manus maioraq; ſub-

ſidia vndiq; quotidie conuenirẽt, nobis contrà ꝙ magna militũ pars deperiiſſet, ad paucitatem bellatorum paulatim res deduceretur (multos enim è Germanis & Belgis aduerſa valetudo afflixerat, ex Hiſpanis quoque vis morbi, & excurſionum aſsiduitas pleroſque interceperat, Itali partim domum reuerſi partim frigore & morbo conſumpti, opinione circiter vndecim millium deiecti, ad quatuor millia redierant) tanta rei gerendæ occaſione prætermiſſa, loci duntaxat fiducia freti, quieſcere maluerunt, quàm prælio fortunam belli tentare.

Dum hæc ad Laugingam gerũtur, interea Ferdinãdi Regis & Mauricii in Saxonia res ſecundæ ad Cæſarẽ nunciis ac literis perferuntur: Saxonas pulſos ſuperatosq́;, exercitum cęſum & maiorẽ eius prouinciæ partem in deditionẽ poteſtátemq́; vtriuſq; eſſe redactam. Quibus rebus nunciatis Cæſar, vt hoſtes quoq; de fratris victoria certiores faceret, aut ſi non ignorabant, ad nos quoq; de ea re famam perlatam intelligerent, magnã tormentorum multitudinẽ diſplodendam

curauit, quo ſonitu lętitiæ & alacritatis ex victoria natæ hoſtibus ſignificatio fieret. Interim Cæſar dũ ad Laugingam caſtra haberet, inſtitutoq́ꝫ ſuo & ferè quotidiana conſuetudine, non militũ ſtationes modò caſtrorumq́ꝫ munitiones obequitaret, ſed finitima quoqꝫ loca quę vel à ſe vel ab hoſtibus occupata momentũ aliquod ad ſummam belli adferre poſſent, diligentiſsimè exploraret, animaduertit ad arcem circiter paſſus mille à caſtris noſtris quinquaginta Hiſpanorum præſidio firmatã, ſemel atqꝫ iterum hoſtes perſpiciendi cauſa veniſſe, perluſtrataq́ꝫ loci natura tã cautè & oportunè recipere ſe conſueſſe, vt ad inſequendum nulla nobis facultas relinqueretur, rem ipſam eſſe teſtimonio, quòd penè in cõſpectu exercitus noſtri proximis diebus armẽta abegerãt, quo tẽpore noſtris ad inſequendum paratis, periculum celeritate vitarãt. Hoc ipſo die accidit, vt Cæſar cum equitatu egrederetur, id ſcilicet ſpectans, ſi itinere impeditos & perterritos deprehenderet: quos quum longius progreſſos conſequi non poſſet, explora

tis

tis regionibus & loco quodam conſiliis rebuſq́; ſuis peroportuno delecto, vnde facilius hoſti ſe nociturum conſideret, Laugingam rediit. Ad ſuperiores diffi= cultates acceſſerat, vt in his quoque ca= ſtris (quemadmodum locis demiſsis ac paluſtribus erat neceſſe) præ luti altitu= dine & impedimento diutius commora ri, & milites hyemis cœliq́; ſæuitia con= flictati, ſub pellibus contineri non poſ= ſent. Quibus rebus pleriq́; permoti, vna nimes in ea ſententia perſiſtebant, vt cō mutata belli ratione reliquum tempus à labore intermittendum eſſe dicerent, militibuſq́; in proxima municipia in hy berna deductis, copias oportunè in præ= ſidiis collocatas ita debere diſtribui, vt facilius de frumento reliquoq́; commea tu prouideri poſſet, & bellum commo= dius adminiſtrari. Intercedit Cæſar, & ſententiam ſuam ſequutus, ſalubrē pro= fectò, & vt euentus poſtea docuit, maxi= mè vtilem & neceſſariam, iiſdem conſi= liis quibus inceperat, alere bellum inſti= tuit. Itaque caſtris ad Laugingam limo= ſa humo adeò præpeditis, vt itineribus

locisq; circumquaq; finitimis altitudine tenaciſsimi luti conciſis, neque pedibus neq; carris, quibus commeatus ſubueheretur, aditum haberent, maturãdum ſtatuit exercitum in eum locum traducere, quem proxima exploratione idoneum ſibi delegerat: copiiſq; bipartito inſtructis, equitatu omni contra hoſtem obiecto, legionibus cum tormẽtis & ſarcinis in alteram partẽ receptis, ne tum quidẽ inſequutis hoſtibus, ad eum locũ peruenit, quum tamẽ is dies, vt mihi videtur, prætermittẽdus illis non eſſet, quin prœlio nobiſcum contenderent. Erat enim iter quo equitatui noſtro occurrerent, amplum & expeditum, & legiones noſtræ cum tormentis ſubſequutæ, lõgius aberant. Hactenus nunquam aſſequi potui, quæ tandem res eos tardauerit, niſi quòd rationes noſtras & itineris ordinẽ ſero iã parumq; oportunè cognouerint, is autẽ à Cæſare neceſſariò ſic inſtitutus eſt, quod ſyluæ multæ intercederent, nec locorũ natura (quandoquidem exercitum omnino eô traducere decreuiſſet) aliam vllam proficiſcendi rationem admitteret.

ret. Caſtris eo quo dictũ eſt loco, poſitis, mirum in modum conuerſæ ſunt omnium mentes, ſummaq́ꝫ alacritas & cupiditas belli gerẽdi innata eſt. Milites enim ex difficillimo impeditiſsimóque cœno planiciem nacti, commodo loco & ſicco conſederant, atqꝫ iis tam grato, vt voluptatem quam ex ea mutatione percepiſſent, publica gratulatione teſtati, caſtra Cæſaris, poſtea loco nomen indiderint. Summa erat in eo lignorum & aquæ copia, ad commeatus cõuehendos magna facultas, & ſitus, natura ipſa communitiſsimus. In fronte contra hoſtem tumulus terreus erat, ſatis grandis & ita idoneus, vt manu ibi extructus eſſe videretur. In huius ſummitate tormenta locata erant, quæ longe lateq́ꝫ in ſubiectam planiciem emitterentur. Dexterum caſtrorum latus ad lacum & paluſtria loca pertingebat, ſiniſtrum perpetuæ ſyluæ tegebant, quarum pars quoqꝫ dextrorſum flexa, quæ à tergo erant, omnia tuta reddebat. Inter vtrumqꝫ exercitum tanta erat ſpacii breuitas, vt inter cohortes quæ in ſtationibus diſpoſitæ erant con-

tinenter vtrinque dimicaretur. Qua re animaduerſa Cæſar, hoſteis commeatu omni ſe intercluſurũ exiſtimans, equitibus imperat vt q̃ latiſsimè poſsint vagẽtur, & q̃ maximũ hoſtibus terrorem inferant. Illi quod imperatum eſt faciunt, & omnibus modis huic rei ſtudẽt, vt illos pabulatione & commeatu prohibeant. Quo fiebat vt quoquouerſus quo frumentandi cauſa adire illi ſe poſſe crederent, leuiores equites noſtri & hipposclopiſtæ palantes diſcurrerent, totóq; hoc ſpacio quod inter Vlmam, Dinckelſpulam & Norlingã intercederet, adeò infeſta itinera redderẽt, vt cadaueribus, iumentis confoſsis, plauſtris annotinis confractis, diſperſiſq; cibariis plena paſſim omnia conſpicerentur. Reliqui verò milites noſtri & nocturnis eruptionibus, & diuturnis præliis tam cõtinenter illos defatigabant, vt nulla nec quietis nec cibi capiendi facultas relinqueretur. Tanta deniq; rerum cõmutatio accidit, poſtq̃ in eũ locũ, quẽ Cæſaris caſtra milites appellabãt, peruentũ eſt, vt manifeſtè iam Cæſarianis meliore ſecũdio-

req;

req́; vſis conditione, fiducia rei gerendæ & ingentes ſpiritus accederent, illi contra perculſi atq; infirmi ſuperioris temporis contentionem remitterent. Neq; enim ad velitationes leuioraq́; prælia, eo quo conſueuerant animo & alacritate procedebãt, neq; dum ad ipſum vſq; vallum noſtri accederent, & magna eos contemptione ad pugnã euocarent, illi quicquam vel cõtumelia vel offenſione permoti, extra munitiones egrediebantur, ſed ſola tormentorũ emiſsione pugnandi languorem conteſtati, ex propugnaculis & vallo prælium conſerebant, nec tũ quidẽ auſi procedere, cũ in cõſpectu exercitus ſub ipſis caſtris captiuos abduci viderent. Tot incõmodis ac difficultatibus perturbati, ſumma quoq; rerũ neceſſariarũ inopia premebantur. Tantis potiſsimũ rei frumentariæ anguſtiis affecto exercitu, vt quinq; cõtinuos dies, milites frumẽto & pane caruerint. Huc accedebat, quod re noua & inopinata perterriti, formidandam Cæſaris potentiã ac virtutẽ horreſcerent, quẽ & anni tempore & neceſsitate cõpulſum cũ belli curam

ram ac diligentiã remittere ac iam lan-
guere putarent, maiore fiducia & alacri-
tate accendi cognoſcerent, ac de hyber-
nis adeò nil cogitare, vt ſub pellibus po-
tius hyematurus crederetur q̃ Saxonẽ &
Heſſum è manibus dimiſſurus. Cuiuſ-
quidẽ rei nõ obſcura illis ſignificatio fie
bat dum loci naturam vbi caſtra noſtra
conſtituta erant perſpicerent. Erat non
procul ab hoſtibus tumulus paulò edi-
tior è cuius ſummitate, quod caſtris ipſis
impendere videretur, procliuè erat ea
tormẽtis decutere. Is tumulus dum ſub
ipſo hoſtium vallo leuiore prælio decer
taretur, ab Albano & centurionibus ali-
quot cognitus eſt. Cæſar aſcenſu & cir-
cuitu diligentiſsimè explorato, quũ tu-
mulum occupare conſtituiſſet, legati ad
eum de Norlingę deditione miſsi, conſi-
lium interpellarunt, erat enim id oppi-
dum rebus noſtris tam oportunum, tan-
tamq́; ad gerendum bellum facultatem
præbebat, vt equitum ibi præſidio con-
ſtituto, ſine maiore negotio, frumẽtatio-
ne & cõmeatu hoſtes omnino prohibe-
rentur, quibus vndiq; malis circunuenti
famis

famis & inædiæ neceſsitatem quouis te-
lo duriorem ſubirent.

Dum res in his anguſtiis eſſet, Saxo &
Heſſus, quòd magni intereſſe Reipu. &
ſuæ ſalutis arbitrarentur de pacis condi
tionibus cum Cæſare agere, idoneum
hominem nacti Electoris Brandenbur-
genſis clientem, per quem ea quæ vel-
lent ad Ioannem huius fratrem perfer-
rentur, petunt vt priuati officii nomine
ad eum literas det quibus de concilian-
da pace ipſum hortetur: literarum autẽ
hæc ſit ſumma. Magnis precibus orare
ipſum ac poſtulare, ſi paruo labore ma-
gnas controuerſias tollere, atq; omnem
Germaniam metu liberare poſsit, non
grauetur de compoſitione cum Cæſare
loqui, magnopere enim cõfidere, ſi eius
rei ſit facta poteſtas, fore, vt æquis condi
tionibus ab armis diſcedatur, cuius ne-
gotii magnam partem laudis atq; exiſti-
mationis ad Ioannem ipſum peruentu-
ram, ſi illo auctore atque agente res in
commodiorem ſtatum deduceretur. ip-
ſum hortari, vt data colloquendi facul-
tate, Cæſari lenitatem ſuam commemo

ret,

ret, quæ ipſis etiam aduerſariis teſtatior ſit, quàm vt diffidant ſtudium & iracundiam ſuam Reip. ipſum dimittere velle, & ad æquas pacis conditiones deſcēdere. Porrò ad quietem Germaniæ & Imperii ſalutē, q̃ maximè pertinere, vt omnes controuerſię componantur, vt exercitus dimittantur, vt diſcedāt omnes ab armis, & metus è prouincia tollatur. Hæc quo facilius fiant, fœderatorum nomine certas quaſdam conditiones proponat, quibus ſuperioribus tēporibus, cum Mauricio de ſtatu religionis egerant, à quarum commemoratione, quòd non meminerim, ſuperſedebo. In hanc ſentētiam Adamus Troppius Brandenburgii Electoris Archigrammatæus ad Ioānem Principis ſui fratrem literas dedit, multis modis & precibus obteſtatus, vt rem ſuſciperet, eoq; deprecatore à Cęſare id impetraretur, magna interim ſimulatione vſus, qua hoſtium languor animiq; remiſsio, & qua compellerentur, neceſsitas, tegeretur. Ioannes acceptis ab Archigrammatæo per tubicinē literis, communicato prius cum Cæſare

conſilio, ad eas ita reſpondit. Compoſi-
tionis nullam eſſe conditionem, niſi Sa-
xo & Heſſus dimiſſo exercitu, ſe ſuaq́;
omnia in Cæſaris fidem & poteſtatem
permittant, quod ſi faciant, ſe adiutore
vtantur, & armis poſitis ad Cæſarem ve
niãt, ſperare ſe pro eius iuſtitia, quæ ſup
plices petierint impetraturos. Hanc
vnam atque extremam eſſe pacis condi-
tionem, quam ſi reſpuant, viciſsim æſti-
ment nullum habere ſe ad Cæſaris cle-
mentiam & manſuetudinem receptum.
Quibus auditis illi, quod viſum eſt, re-
ſpondent, ſcriptaq́; ad Ioannẽ mandata
per eundem remittunt. Quoniam quæ
proponerentur magna eſſent & grauia,
vt quæ ad ſuam ac fortunarum ſuarum
omnium vel ſalutem vel perniciem per
tinerent, extemporalis iudicii non eſ-
ſe de iis decernere, ſed diem ſe velle ad
deliberandum ſumere, itaque petere ſe
& orare vt aliquem locum medium col-
loquio deligat, quò ipſe cum Bura-
no veniat, ſi Cæſaris id voluntate fi-
eri liceat, ſe quoque ad eum quem
diceret colloquio diem, eodem eſſe
ventu-

venturos, & copioſius inter ſe de Reip. & communi omnium ſalute acturos. Ioannes eadem ferè quæ prius reſpõderat, Cæſaris iuſſu reſcribit, niſi armis traditis, non alium ſe videre concordię locũ. Hoc illi reſpõſo accepto à colloquii petitione deſtitere.

Interim Norlingenſes qui paulò ante de pace legatos miſerant, vel diſsimulatione, vel præſidii quo oppidum tenebatur, eiiciundi difficultate, quum de celeritate deditionis remitterent, Cæſar præſentis periculi atq; inopiæ vitandæ cauſa omnem illos orationem inſtituiſſe ratus, & anni tempore & ſpe cõficiundi negotii adductus, de colle, cuius ſupra meminimus, occupando cogitare cœpit, vt hoſtem non ſolum pelleret, ſed etiam caſtris exueret. Itaq; quòd à Norlingenſibus longiore ſe procraſtinatione duci intelligeret, Albano imperat, vt quæcunque ad oppugnationẽ caſtrorũ neceſſaria ſint, quàm diligẽtiſsime comparet, velle ſe pridie Diuæ Catherinæ eo loco diſcedere, ipſoq; die feſto caſtra hoſtium, ea qua ſtatutum erat ratione & ordi-

ordine, oppugnare, quòd nullam ſibi commodiorem dari facultatem confidat, qua illos ad perſeuerandi deſperationem compulſos, cogat ſtatiuis excedere. Is dies erat ad vndecimum Calen. Decembres, quo die dum leuiore prӕlio decertatur, vxoris Lantgrauii frater captus eſt. Duas autem duxerat, nimirum pro legis Euãgelicæ, quam ipſe ſomniat conditione.

Ad quintum Calend. Decembres Cӕſar certior factus eſt, hoſtes caſtra moue re, & iam in itinere eſſe. Is nuncius ſerò circa meridiem allatus eſt, quòd explorator quanuis regionis peritus, nebulæ tamẽ tenebris errans prius in caſtra peruenire nõ poſſet, quàm caſis, quæ more militari ſtramentis erant tectæ, incenſis, procul è conſpectu hoſtes iam diſceſsiſſent. Pridie enim eius diei maioribus tormẽtis & ſarcinis ſub veſperum præmiſsis, illi de tertia noctis vigilia pedeſtres copias omnes caſtris eductas, eodẽ itinere ſubſequi iuſſerãt, equitatu cum leuioribus tormentis campeſtribus relicto, qui nouiſsimum clauderet agmẽ.

Cæſar cognito eorum conſilio; nulla mora ad inſequendum illata, ſed protinus leuioris armaturæ equitib⁹ aliquot præmiſsis, qui iter obſeruent (ab exploratoribus enim re confirmata, & vallo ſtatione militum nudato, manifeſtè eorum profectio cognoſcebatur) cum Buranico equitatu egreſſus, Germanos equites eueſtigio ſubſequi, peditatum verò omnem ordinibus inſtructis imperium ſuum expectare iubet, eóq; præſidio equitum & circiter ſeptingentis velitibus Hiſpanis, quos confeſtim in eum vſum eduxerat, ad vacua hoſtium caſtra peruenit. Illi enim tanta celeritate diſceſſerant, vt ne ſauciorum quidem & ægrorum habita ratione, fugæ ſimilis profectio videretur. Ipſe eo loco Albanum conſequutus, quum vlterius progrederetur, & per exploratores cognoſceret hoſtes nō longius tribus paſſuum milibus conſpici, leuiores equites qui nouiſsimum agmen morentur, præmittit, Albano Buranicum equitatum petenti concedit, ipſe cum Germanis equitibus ſequutus eſt. Quos expeditos præmiſe-

miſerat, cum diſperſis aliquot hoſtium equitibus leuiore prælio inito, extremum agmen carpere & impedire incipiunt. At illi itinere non intermiſſo ad collem proximum, quem ſclopiſtis mille, & duabus equitum turmis tenebant, magno ſtudio & velocitate contendũt. Qui in colle erant Cæſarem & Albanum ex improuiſo, ad paſſus circiter mille, cum equitatu conſpicati, relicto præſidio, ad ſuos, qui ab altera parte tumuli acie inſtructa conſtiterant, ſe concitatiſsimo curſu recipiunt. Qua re animaduerſa Albanus, quàm maxima poteſt celeritate adhibita, in collem ab hoſtibus deſtitutum cum expeditis Hiſpanis & equitatu ſuccedit. Ab eo colle, circiter mille paſſuum interuallo, eodem quo illi ibant itinere, maiori accliuitate alius naſcebatur aduerſus huic & contrarius: quod ſpacium inter vtrunque intercedebat, planum erat, & vndique apertum. Hunc hoſtes occupant, & tormentis aliquot in faſtigio collocatis, quibus noſtros aſcenſu & itinere prohibeant, ad dexterum latus expeditis ſclopiſtarum

piſtarum cohortibus contra ſyluas ob=iectis, equitatu omni in octo aut nouem agmina diſtributo, cum reliquis copiis eò contendunt. Equites noſtri expediti, vbi rurſus inſtituto ſuo extremos pugna laceſſerent, Albanus ſpem prælii nactus, quòd Cæſaris agmen inſtaret, protinus nigræ armaturæ equitum turmam (hos hippoſclopiſtas eſſe ſupra demonſtrauimus) ex tumulo in planiciem deſcendere, & cum hoſtium equitibus manum conſerere iubet. At hoſtes celeri curſu incitati, ſub collem in quo tormēta poſita erant ſuccedunt. Idem pedites faciunt, eò conſilio, vt cum reliquis copiis coniuncti, ac tormentorum præſidio tuti, equitatus noſtri impreſsionem repellant. Interea Cæſar, vbi cum equitibus aliquot ad collem quem noſtri tenebant perueniſſet, (reliqui enim, quantum celeritate itineris cataphracti proficere poſſent, ſubſequebantur) omnem operam dabat, vt mora profectionis iniecta, vel inuitos ad prælii neceſsitatem compelleret, vel his eos ſupplices malis cogeret neceſſariam ſubire deditionē.

Sed

Sed quòd ſole iam ad occaſum vergente, exigua diei pars ſupereſſet, & ſerò à ſpeculatore admonitus eius diei fruſtrà labore ſuſcepto, quum ſe magno itinere extendiſſet, longius hoſtes progreſſos conſequi non poſſet, (hi enim vt fumo atque ignibus ſignificabatur, in colle quem occupauerāt caſtris poſitis, ea ibi nocte videbantur velle quieſcere) nullum longius diſcedendi ſpacium perterritis dari oportere exiſtimans, Albano cum equitatu in tumulo relicto, ſub ſolis occubitum ad caſtra vnde egreſſus erat, reuerſus, pedeſtres copias omnes, quas ibi expectare iuſſerat, ea ipſa nocte ad collem conduxit. Siquidem ipſe in eam ſpem venerat, dum continenter inſequeretur, datum iri aliquo loco pugnandi facultatem, qua vel exercitum pulſum, in fugā coniiceret, vel ſi id conſequi nō poſſet, ſuperius inſtitutum ſeruans, nullam illis cōſidendi poteſtatem faceret.

Quater omnino toto hoc bello Cæſar caſtris hoſtem emouit, arte & induſtria bis, & (quæ mea eſt ſententia) vi to-

ties ac neceſsitate. Id primum ad In-golſtadium neceſſariò accidit, quem-admodum & ipſi poſtea ingenuè faſsi ſunt, & quæ hac de re commemoraui-mus, fidem certiſsimam faciunt. A Da-nouerto deinde ſolertia & aſtu abdu-ctos, caſtris ad Norlingam locatis, fru-mento & commeatu prohibuit. Quum alioqui ad opinionem eorum & laudem ſummopere pertineret, ab eo oppido periculum omne repelli. Hinc eos rur-ſus iiſdem artibus & induſtria vſus eli-cuit, Danouerto capto & omnibus, quæ ad Iſtrum poſita ſunt oppidis, ad Vl-mam vſque in poteſtatem redactis, hac quoque vrbe in dubium obſidionis vo-cata quòd paterentur loco & itinere ſe anteuerti, nulla diſcriminis ratione ha-bita, in quod & ciuitas illa ampliſsima, & ipſa rerum ſumma deduceretur.

Poſtrema turbatio ad Giengam accidit, quæ, quum ſummo conſilio & rei mili-taris optima ratione fieret, volui hoc lo-co commemorare non illepidum ſcom-ma quod milites noſtri in Lantgraui-um etiam hodie iaciunt. Is dum ſuos

vel conuitio corripere, vel minis terrere cuperet, dicere ſolitus erat: Ego vos ad Lauſum compellam. Nam hoc nomine oppidum quoddam vocatum eſt, in quod ſuperioribus bellis, quæ ipſe tum priuata gerebat, hoſtes coëgerat, cuius rei gloria ſcilicet etiamnum elatus tumeſceret. Huius vocis, Lauſen, anceps eſt ſignificatio: Germanis enim idẽ ſonat quod Latinis currere. Id Lantgrauii dictum à militibus noſtris hodie in iocum receptum eſt. Lantgrauius, inquiunt, ſe ad Lauſum nos coacturum minatus eſt, at ille contrà à nobis ad Giengam compellitur. Giengen autem Germanis abire ſignificat. Hæc illi patrio ſermone ſalſius multò & vrbaniore facetia pronunciant, quæ, etſi ridicula videantur & inter iocos militares relata, eò tamen maiorem vim & gratiam obtinent, quò propius ad veritatem accedunt.

Cæſar multa iam nocte in caſtra reuerſus, nulla interpoſita mora, copias inſtruit. Quicquid celeritate & ſtudio anteuerteret, id omne ad poſteri diei

tempus ſibi deputans eſſe in lucrum. Ipſe modico cibo ſumpto profectus legionibus cum ſarcinis & tormentis continuo ſubſequi iuſsis, duabus horis poſt mediam noctem, ſumma frigoris & nebulæ vi ad eum locum venit, quo in loco Albanus cum equitatu conſederat. Caſtrorum tanta erat propinquitas, vt quum non amplius mille paſſus intercederent, ignes vtrinque clarè conſpicerentur, quos illi continuos tota ea nocte incenderant, quò citiſsima eorum profectio occultior eſſet. Copiis enim omnibus ſilentio è caſtris eductis, nullam noctis partem itinere intermiſſo, quum iam luceſceret, Prentium amnem tranſierant, & ad Haydenam Virtembergenſium arcem munitiſsimam caſtra poſuerant.

Ludouicus Quixada qui inter Hiſpanos ex Inſubribus euocatos ordinem ducebat, ea nocte ſpeculatum emiſſus hoſtes diſceſsiſſe renunciat, id ſe conſtanter affirmare, vt qui certiſsimis indiciis cognouiſſet. Albanus hoc idem Cæſari retulit. Prima luce intolerandum frigus

& niues duorum in altitudinem pedum, quæ ante auroram deciderant, nec orto iam ſole ceſſauerant, milites adeò affligebāt, vt magna omnium cōmiſeratione, ordine nullo, diſperſi ac diſsipati ad ignes conquirendos frigori arcendo à ſignis diſcederent. Equi verò noctis incōmodo & labore defeſsi, ꝙ frænati ſtratiq́; conſtiterant, proximi diei laſsitudinem conduplicauerant. Cæſarem tamē neque duriſsimum anni tempus, neque quas cōmemorauimus difficultates, neque quòd hoſtes munitiſsimo loco conſederant, ad inſequēdum tardaſſent, niſi rerum quoque neceſſariarum anguſtiæ deteruiſſent. Agris enim circumquaq; vaſtatis, omnibus vicis ædificiisq́; incenſis, nuſquam idoneus caſtris locus propè hoſtem deligi poterat, quin fames & inedia timenda eſſe viderētur. Hoſtes enim ipſi circa eadē illa loca diutius commorati, longè lateq́; frumēta & pabula omnia conſumpſerant. Quorum inopia, ꝙ longius petenda eſſent, ſi nos quoq; tum premere nonnihil inciperet, quid futurum erat quum ad ſeptendecim aut am

plius paſſuum millia vltra eum locũ fuiſſemus progreſsi? Tum vt detur hæc milites vtcunq; ferre potuiſſe, iumenta ſanè nulla id ratione ſuſtinuiſſent. Denique quid ſtultius aut inconſultius, quàm nos ipſos in eaſdem difficultates coniicere, in quas paulò prius hoſtes ipſi à nobis fuiſſent adacti? præſertim vbi Virtẽbergẽſium agros fertilitate & copia laudatiſsimos, maximæq; frumentarios à tergo haberent, atque eò iter facere viderentur. Cæſar itaque neceſſaria re coactus, quum fame non ſit durior vlla neceſsitas, aut quæ grauius exercitum premat, difficillimo anni tempore, & hoſtibus multum progreſsis, in pręſentia qui dem, ſed non in poſterum ſpe inſequen di ſublata, aliud ſibi iter ſuſcipiendum cogitauit, & milites eò conducẽdos vbi hyemis iniuria, quę iam ſæuire incœperat, minus offenderentur, commeatuq; & rerum omnium copia ſubleuati, poſt maximos tandem labores, quos ſingulari patientia pertuliſſent, tecta ſubirent, quum diutius iam ſub pellibus continẽdi non eſſent.

His

His ita conſtitutis ea nocte ad vetera caſtra, quæ Cæſaris dicta docuimus, copias omnes reduxit. id enim omnino poſtulabat neceſsitas, vt defeſſum tot laboribus & incommodis exercitum, cibo & cõmeatu pauliſper reficeret, quò ad conficiunda, quæ ſupereſſent negotia, redderetur alacrior.

Maximum ſanè ac præcipuũ ad ſummam belli momẽtum attuliſſe creditur quòd hoſtes à Giẽga Cæſar abſtraxerit. nam & eo primum loco diſsipati fuerunt, & ſequundarũ rerum omniũ quæ deinceps ab eo geſtę ſunt, initiũ captum eſſe videmus. Ad quarum enarrationẽ priuſquam accingar, non erit abs re ſi vnum hoc ſim præfatus, toto hoc bello nullam vnquam prælii poteſtatem factam fuiſſe, qua, ſi non meliore, at æqua ſaltem conditione cum hoſte decertaremus. Quod quum ita ſit, tamen ignoro an oblata etiam commodiſsima pugnandi facultate, magis ex vſu fuiſſet rem prælio committere, quàm ſuperſedere. propterea quòd anceps ferè ſit præliorum euentus, in quibus quum

vſque-

vſqueadeo fortuna valeat, vt minimæ etiam res maximum interdum in vtranque partem momentum habeant, nobis quoque eadem ſubeunda erat dubii caſus neceſſitas. Victis, quantum ad ſummam rerum detrimẽtum accederet, manifeſtum erat ob oculos. Victoribus verò, q̧ res ſine acri pugna confici non poſſet, tot fortium virorũ ſanguine & morte neceſſe erat cõſtare victoriam, vt magna exercitus noſtri pars non bene accepta, graui incõmodo afficeretur, peiusq́; propemodum victoribus Cæſarianis, q̃ fœderatis victis accideret. Ciuitatibus enim ſaluis & incolumibus, nullo modo fieri poterat, vt nouis etiã viribus quas collegiſſent ab exercitu noſtro quanq̃ victore reſiſteretur. Id quod vſu poſtea & re ipſa compertum eſt, quum etiam ſine pugna & vulnere profligatis hoſtibus, Cæſari tamen integro adhuc & florenti exercitu maximè opus eſſet, cuius formidine ciuitates ad deditionẽ & officium compellerentur. Itaq; maiorem exiſtimationem & laudem, iudicio meo, Cæſar adeptus eſt, dum ſaluis copiis ho

ſtem

ſtem frangit & ſuperat, quàm ſi prælio ſequundo aliquos è ſuis amitteret. Cur enim fortunam periclitetur? præſertim quum non minus Imperatoris ſit conſilio ſuperare quàm gladio? Quemadmodum enim (quod vulgo dici ſolet) cruenta victoria militum virtuti tribuenda eſt, ſic & incruentæ ſalutaris gloria, Imperatoris prudentiæ, & arti, optimo iure adſcribitur.

Cæſar in caſtris ſtatiuis biduo moratus, quod ſpacium curãdis militũ corporibus voluit interponi, ex fama & nunciis cognouit, hoſtes poſtridie quàm ad Haydenam cõſediſſent, copiis omnibus bipartito diuiſis, caſtra mouiſſe, quarum altera pars, quæ ex fœderatarum ciuitatum cohortibus cõſtabat, Auguſtam & Vlmã, altera verò, in qua Saxonis & Heſſi equitatus vniuerſus cum parte pedeſtrium copiarũ erat, credebatur in Franconiam iter habere. Cuius prouinciæ ſi potirentur, verẽdum erat ne bellum nõ extinctum, ſed maioribus viribus redintegratũ ad principia reuocaretur. Erant enim in ea ciuitates q̃ plurimæ & locupletiſsi=

pletiſsimæ, Antiſtitū ſedes ampliſsimæ, in quas exercitus in hyberna deduci poſſet, & confirmandorū militum cauſa, pecuniç partim à ſocietatibus tolli, partim acerbius imperatæ tota prouincia extorqueri. Huc accedebat rei frumētariæ & omnis generis cōmeatus huberrima copia, vrbiū, vicorum & ædificiorū multitudo frequentiſsima. Quod ſi Rotēburgum ciuitatē Imperialem, Lutheranicæ factioni aſtrictam, fœdere tamē & armorum ſocietatē non iunctam, belli ſedem deligerent, id quoq; cū ſummo cōmodo ſuo conſequuti, maximis eius loci (quē à re ipſa Lādenbergam peculiariter nominant) munitionibus & operibus tutarentur, Franconiā verò ipſam à tergo finitimā haberent, & Rotenburgo occupato per potentiſsimos ac firmiſsimos fœderatorū Principes, totius prouinciæ eius ſine maiore negotio aliquo ſeſe potiri poſſe ſperarēt, ꝙ in ea caput nullum eſſe aut oppidū tam firmū cognoſcerēt, à quo virib⁹ ſuis ac potētiæ reſiſteretur. deniq; maioris operis ac difficultatis futurum, eo ſe loco expelli, ꝗ quicquid antea

tea vnq̃ in tali negotio à Cæſare tentatũ fuiſſet. Quãuis enim fuſi ac diſsipati,eò ſe ex fuga reciperent,nouas tamẽ copias facile ſe cõparare & bellũ renouare poſ ſe,ſi eius prouinciæ pecunia, cõmeatu, hoſpitio,& hybernis tegerentur,quarũ rerũ opibus ac neruis,exercitus quantũ uis attenuatus ac bello fractus,in calami tate facillimè corroboretur. Cognito eorũ cõſilio Cæſar, id quod inſtituerãt, antea etiã ſuſpicatus, nulla interpoſita dubitatione,ꝗ res in celeritate poſita eſ ſe videbatur, difficilioribus niuis ac ge= lu tẽpeſtatibus vſus, ad Norlingam iti= nere ſuſcepto,ſecundis caſtris Boffingã peruenit. Id quoq; paruum eſt Imperii municipium,Norlingæ proximũ, in eo quo ipſe contendebat recto ad Roten= burgum itinere ſitum. Nam quòd ma= gni circuitus mora interpoſita neceſſa= riò illac hoſtibus veniendum cognoſce ret,ſi ipſis in animo eſſet per Rotenbur= genſium agrum iter in Franconiæ fines facere, recta regione celeriter eos ante= uertere ſtatuit,vt omnibus viis obſeſsis neceſsitate coacti prælio decertarent.

Aduen=

Aduentu Cæſaris cognito, ciues & ma-giſtratus Boſſingæ ex oppido egreſsi ſine mora ſe dedunt. Quorum exemplo inuitati milites qui proximā Ottingenſium Comitum arcem præſidio tenebāt, quanuis loci fiducia & animorum ferocitate prius elati, quaſvis deditionis cōditiones ſpreuiſſent, mox tamen in Cæſaris poteſtatem venerunt.

Norlingenſes quoq; quòd exercitus iam propinquius inſtaret, quàm vt nouis conſiliis capiēdis facultatem ſibi dari confiderent, poſtridie eius diei portas aperiunt, & ſupplices pacem à Cæſare petunt. Quibus in fidem acceptis & cōſeruatis, quatuor militum cohortes ad oppidi præſidium ponit. Lantgrauiani enim ſuperiori nocte ciuium voluntati diffiſi, in proximam arcem profugerāt. Hęc quoque in Ottingenſium fide erat, circiter tribus à Norlinga paſſuum milibus, magnis operibus & duarū cohortium præſidio munita. Primo aduentu exercitus noſtri milites ex loci natura & recēti ſubſidio ſpem defenſionis & propugnandi ſtudium nacti, crebras ex arce

excurſiones faciebant,paruuliſq; prçliis cum noſtris contendebant. At Buranus cum Belgarum copiis illò à Cæſare miſſus, protinus eorum fçrocitate repreſſa, quatuor ſignis militaribus & armis traditis, in deditionē venire coëgit. Illi vitam & ſarcinas pacti, quũ diſcedendi poteſtate facta, ad municipium aliquod imperiale dimitti ſe peterent, à Cæſare nō impetrarunt. Voluit enim hos quoque eodē rei militaris decore ornatos abire, quo Saxonē & Heſſum à ſe diſceſsiſſe diceret. Cæſar Norlingç præſidio militũ conſtituto, Ottingenſium ditioni gentilitatis illius fratrē, orthodoxç fidei virũ cũ imperio prçfecit. Ipſe Boſtinga profectus, Antiſtite Auguſtano rebus neceſſariis prouidendis Norlingæ relicto, ad Dinckelſpulam caſtra admouit. Ciuitas hæc eſt Imperialis & libera, in fœderatorum ſocietatē recepta. Albanus qui eo die, quemadmodũ Cçſar prçceperat, cũ tormētis muralibus, expeditis Hiſpanorum cohortibus, & parte Germanici peditatus prçceſſerat, vt ciuium animos de deditione tentaret, ꝙ nullos etiamnũ ad

Cæſarem de pace legatos miſiſſent, par=
tim pollicitationib⁹ exhortatus, partim
denuntiatione periculi terrorē inferens
poſtq̃ tormētis murum ſubruere cœpiſ=
ſet, nullam neq; cōpoſitionis cōditionē,
neq; miſericordiæ locū futurū, quin mi
litibus diripiendū oppidum concedere=
tur, perterritos ciues, deditione facta, ſa=
lutis ſuæ rationē habere coëgit. Cæſar
eo ibi die quieuit, poſtridie duabus co=
hortibus ad cuſtodiam ciuitatis relictis,
Rotenburgū ire contendit. Id iter incre
dibili penè celeritate bidui ſpacio cōfe=
cit, erat enim & duriſsimo anni tēpore,
& altiſsima niue, & ſummis rerū omniū
difficultatibus impeditiſsimum. Roten=
burgenſes pridie q̃ Cæſar oppidū ingre
deretur, magno ſtudio & ciuium cupidi
tate obuiā progreſsi, demōſtrāt ſe ſuaq́;
omnia in fidem ac poteſtatē eius permit
tere, paratos enim eſſe portas aperire,
quæq; imperauerit facere, exercitū hoſ=
pitio & cōmeatu iuuare. neq; ſe cum reli
quis fœderatis conſenſiſſe, neq; contra
ipſum omnino coniuraſſe, neq; hoſtibus
(quemadmodū inquirēdo reperimus eſ

ſe ve=

ſe veriſsimum) vel pecuniam, vel arma, vel vlla vnquam auxilia ſubminiſtraſſe.

Hæc ſibi ſatis oportunè Cæſar acci- diſſe arbitratus eſt, ꝙ hoſtes, quos non procul abeſſe cognouerat, tã neceſſario tempore anteuertiſſet, & Rotẽburgo oc cupato præſentem eis facultatem Fran- coniæ potiundæ ademiſſet. Id Cæſaris conſilium tanto magis laudandum vide tur, quãto maiore omnium interceſsio- ne deliberatum eſt. Nam quum ad Boſ- ſingam ventum eſſet, hyemsq; niuium & frigoris tempeſtatibus iam ſæuiret atro cius, q̃ vt militibus vlla ratione toleran da videretur, omniumq; hæc ferè com- munis ſentẽtia eſſet, vt partim in ea quę ad Iſtri ripam præſidiis noſtris oppida te nebantur, partim in Auguſtanorum, Vl- menſium & Norlingenſium agros, exer- citus in plures partes diſtributus, in hy- berna deduceretur; ipſe in ſententia ſua conſtantiſsimè perſeuerauit, magis ex vſu ſibi fore exiſtimans ſi viis obſeſ- ſis, aditu in Franconiam hoſtes inter- cluderet; quàm ſi Vlmenſes & Augu- ſtanos hybernis ac præſidiis premeret.

Id enim hoſtibus prius deuictis, deinceps perfacile factu probauit. contrà ſi colligendi ſui poteſtate facta, nouis delectibus Franconiam tenere conarētur, permagnā ad conficiendum negotium difficultatem ac deſperationem afferri, quòd nondum etiam ſociorum conciſis ac deletis copiis, fœderatæ ciuitates ſpe ſuſtinendi confirmarentur. Singularem huius opinionis vtilitatem ipſe poſtea euentus edocuit. Siquidem hoſtes, quòd Rotenburgum à Cæſare teneri intelligerent, re inopinata perturbati, commutato conſilio, atque itinere ſiniſtrorſum conuerſo, magno circuitu per aſpera & prærupta loca exercitum ducere incipiunt, quorum difficultate impediti, maiorem tormentorum partem in finitimas Virtembergenſium arces diſtribuunt, atque his impedimentis & onere ſubleuati, tanta diligentia ac celeritate contendunt, vt quotidie Cæſar Rotenburgum peruenit, ad octo miliaria inde abeſſent, quum pridie non amplius tria inter vtrumque exercitum interceſsiſſent. Tandem ad ſummam re

rum

rum̄ omnium & conſiliorum inopiam redacti, vbi & de alendo bello, & Cæſare ſuperando ſpem ſe fefelliſſe cognoſcerent, conſtituerunt optimum eſſe domum ſuam quemque reuerti. Lantgrauium primò à caſtris digreſſum, quū ducentorum equitū præſidio ſtipatus per Francfordiam iter haberet, eius ciuitatis decuriones & ciues frequentes circunſiſtunt, & velut propinquum, ad quē ſumma imperii communi conſenſu delata fuiſſet, obſecrant vt ſuis fortunis conſulat, ac tam neceſſario tempore, quid fieri debeat, oſtendat. Quorum ille precibus nihil permotus, acerbè etiam & contumelioſè reſpondit, optimam ſibi rationem videri, vt vnaquæque vulpecula (vt Germanis in prouerbio eſt) caudam ſuam̄ quàm diligentiſsimè tueatur. Hoc reſponſo dato, neglecta ciuitatis ſalute, magnis itineribus domum contendit.

Heſsi conſilium Fædericus Saxo ſequutus, ex diſperſis copiarum reliquiis, quas poteſt cohortes cōtrahit, magnoq́; circuitu & viarū difficultate profectus,

per cauſam alendorum militum quos tum penes ſe haberet,& qui vndique ex caſtris & fuga elapſi confluerent,magna pecuniæ vi q̃ acerbiſsimè cœnobiis im• perata, & à fanis ſublata,in Saxoniã iter habebat.

Interea Cæſar Rotenburgi iis quæ fie ri vellet conſtitutis,quũ & anni tempus & ſpacii longinquitas ab inſequẽdo ho: ſte ſpem omnẽ auerterent, Buranũ cum iis quas è Belgis adduxiſſet copiis,diuti: us retinendum non exiſtimans, in Flan: driam remittit. Diſcedẽtem liberaliter oratione proſequutus,docet quantũ ad præſentẽ occaſionẽ vſum habeat,Franc fordia ciuitate florenti & ampla potiri, ſimul reliquis oppidis huius vrbis exem plo terrorem inferre,& id fieri celeriter priusq̃ auxilia concurrerent. Hortatur & imperat, vt ciuium animos vel indu: ſtria ad defectionem ſollicitet,vel armis ad deditionẽ cõpellat.His datis mãdatis eum ab ſe dimittit.Ipſe cũ reliqua parte exercitus ad fœderatas ciuitates,in qui: bus hoſtium præſidium omne & robur poſitũ eſſe nõ ignorabat,ſtatuit iter con

uertere. confiſus enim fama rerum geſtarum quòd victoribus nihil impeditum, victis nihil tutũ arbitrabatur, infirmioribus auxiliis proficiſci non dubitabat. At eò iam perducta res erat, vt ſola victoriæ fama & opinio pro Cæſare bellum in Germania gereret, eiusq; magnitudine & admiratione pleræq; ciuitates perculſæ, legatos ad eũ de deditione mitterent. Tanta enim fugatis hoſtibus, voluntatũ cõmutatio facta eſt, vti breuiſsimo tempore quo Rotenburgi quieſceret, quotquot ad Rhenum ciuitates pertingunt, multę ex Sueuia, nonnullæ quę ad ipſam vſq; Saxoniam pertinent, à fœderatis deſciſcerent, & Cæſaris amicitiã ſequerentur.

Rotenburgo Cæſar diſcedens ſecundis caſtris Halam peruenit. Huius ciuitatis eſt inter Sueuos ampla ſatis auctoritas & opulentia, fœderatis prius iureiurando deuincta, ſed tum recens à Cęſare in fidem accepta. Ibi vetere ſuo morbo affectus, ꝙ pedibus æger ad profectionẽ non eſſet idoneus, diutius opinione ſua morari coactus eſt.

Iiſdem temporibus Fædericus Palatinus Elector, à quo fœderatis equitũ auxilia miſſa ſupra demonſtrauimus, per familiariſsimos quoſq; gentiles & aulicos, quos vel beneficio, vel vetere neceſsitudine cõiunctos habebat, magna doloris animi ſignificatione agere cœpit, vti per eos aditum commendationis ad Cæſarẽ nactus, in gratiã eius & amicitiã reciperetur. Quibus deprecatoribus vſus, admiſsi facinoris veniam impetrauit. Magnum autem fructum priſtinæ lenitatis ſuæ omnium iudicio Cæſar tulit. ſiquidem hæc illi peculiaris virtus ingenita eſt, vt in miſeros ac ſupplices clementia ſua ac manſuetudine libenter vtatur, &, quod in Caio Iulio dictatore olim admirabatur antiquitas, beneficiorum perpetuò memor, iniuriarum verò obliuionem facillimè patiatur obrepere. Palatinus, poſtq̃ quod antea de colloquio poſtulaſſet, id fieri iam ſibi licere intellexit, nulla interpoſita mora domo ſua profectus, Halam ad Cæſarem venit. & facta poteſtate cubiculum ingreſſus, quàm poteſt demiſsiſsimè atque ſubiectiſsimè

poſtulata exponit, cupere ſe Cæſari pur gatum, ne ea quæ egerit in ſuam contumeliam vertat, paratum eſſe ſe omnibus rationibus de iniuriis ſatisfacere, quarũ ſi iudicii æquitate abſolui non poſſet, orare, ſibi vt parcat: & pœnitudini, quã lachrymis etiam teſtabatur, noxam con donet. Cæſar orationem eius interpellat, ſcire ſe quæ ab eo cũ fœderatis acta ſint, nec quẽquam inde pluſquàm ſe doloris capere, propterea quòd, quum beneficio & liberalitate ſua, ampliſsima quæq; ſit cõſequutus, ſanguinis propinquitate & neptis ſuæ nuptiis iunctus, in regia ſua communicato educationis officio à teneris annis enutritus, hanc ſibi in extrema fermè ſenecta, cunabulorũ, affinitatis, & honoris gratiam referat, vt hoſtes equitũ auxiliis iuuerit, opibusq; ſuis & copiis texerit. Quæ quum euidentiora ſint, quàm vt vlla excuſatione refelli poſsint aut dilui, tanti tamen apud ſe educationis & priſtinę neceſsitudinis gratiam eſſe, vt & ſuam & Reip. iniuriã precibus eius & dolori condonet. Porrò autem monere ſe, vt in reliquum tem

pus ſuſpiciones omnes vitet, & dedecus in ſe admiſſum, officio & fide reſarciat: præteritis enim eo ſe libentius ignoſcere, quo maiori ſpe perpetuæ in futurum innocentiæ eius ſit confirmatus. Palatinus ad ea quę prius reſponderat, pleraque eiuſdem generis addidit, cum idonea ſatis, vt ſibi ipſe perſuadebat, excuſatione coniuncta. Meo tamen & omnium qui circa Cæſarem erant iudicio, nihil vel ad miſericordiam vehementius moueré, vel æquiore ratione, noxæ eximere viſum eſt, quàm venerandi ſenis illius detecta canicies & flebiles lachrymæ, quibus tantus Princeps genere copiiſque ampliſsimus, qui tam arcta cognitionis & neceſsitudinis propinquitate Cæſarem ipſum contingeret, culpam ſuam demiſiſsime deprecabatur. Poſt eum diem in antiquum locum gratiæ & honoris reſtitutus eſt, quanuis in primo illo congreſſu, pro criminis grauitate & temporis ratione, ſeuerius à Cæſare fuerit exceptus.

Vlmenſium ciues, & qui ſummo magiſtratui præerant, tanta cupiditate paci con=

ci conciliandæ ſtudebāt, vt eodem tem-
pore,quo Palatinus,ipſi quoq; celeriter
Halam peruenerint. Tandem conſtitu-
ta adeūdo Cæſari hora,in conclaue ad-
miſſi,coram Palatino qui ægrotanti Cę
ſari aderat,ſeſe omnes capite demiſſo,&
vultu mœſtiſſimo Cæſari ad pedes pro-
iiciunt. E quibus vnus qui eius legatio-
nis principem locum obtinebat, multa
ſuppliciter loquutus eſt, vt de ſua atque
omnium ciuium communi ſalute debe-
bat. Orationis autem, quantum aſſequi
& meminiſſe potui, hæc erat ſumma.
Senatum populumq́; Vlmenſem perpe-
trati ſceleris magnitudinem vltrò con-
fiteri,quòd & temeritate ſua, & inſcitia
leuitateq́; vulgi,& facinoroſorum ſedi-
tioſa oratione impulſus, contra Cæſarē
armis contenderit. Scire tamen ſe nul-
lum eſſe tam graue delictum,quod inef-
fabili miſericordia Dei non aboleatur,
dum ſontē verè & ex animo errati pœ-
niteat. Itaque ſummam in ſpem ciuita-
tem venire, vt diuinæ bonitatis exēplo,
ipſe quoq; in ſupplices clementia & leni
tate vſurus ſit, quos per crucē & mortē
Chriſti

Chriſti Domini vt conſeruentur, obteſtatos, vltrò videat in deditionem & poteſtatem ſuam venire, paratosq́ʒ eſſe imposterum eã fidem & operam præſtare, quam & fortunarum omnium, & capitis ſui periculo Imperatori optimo ſe debere agnoſcant. Ad ea Cæſar ita reſpõdit. Spontaneam criminis confeſsionem magna ex parte in cauſa eſſe quur illis faciliius ignoſcatur, præſertim vbi pœnitentia & animi dolor quem ex præteritis ciuitati inceſsiſſe cognoſceret, ſpẽ certiſsimam faciãt, vt ſtudioſius ac fidelius deinceps in officio ſeſe contineat. Qua ratione adductum, nihil in ciues grauius ſtatuere velle, quos tamen iure belli agris mulctare, iura, leges, & libertatem per ſupplicium adimere poſsit, ſed precibus eorum & miſericordia vulgi, petẽtibus veniam dare. Cęterum quòd ad ciuitatis eius & communem Imperii ſalutem pertinere cenſeret, poſtea hoc ſibi curæ futurum. His dictis ſenatus dimiſſus eſt. Paucis poſt diebus Cæſar Hala diſcedens, quum Virtembergenſium regulum, cui & armorum ſtrepitus & ſigna

noſtra

noſtra canentia ex tanta propinquitate iam caput obtunderent, depoſita paulu-lum fœrocitate miteſcere intelligeret, non cunctandum ſibi putauit, quin vi & armis ad officium cogeretur. Id ni fie-ret, intelligebat magno cum rerum ſua-rum periculo futurum, vt hoſtem inte-gris adhuc viribus, Vlma quæ nuper pa cata erat, finitimũ haberet. Nihil enim minus volebat, quàm ſub diſceſſu ſuo, aut quum in aliam expeditionem profe ctus, longius illinc abeſſet, ex tumultu & ſtudio rerum nouarum neceſsitatem ſi-bi aliquam imponi belli redintegrandi, ne quum exercitus inde deductus eſſet, ſpes aut cauſa daretur armorum, quæ ci uitas illa ab Auguſtanis quoque vicinis impulſa forſan ſine præſenti periculo ſuſciperet. Accedebat ad hæc, aliorum quoque ſatis propinqua vicinitas, quo-rum inquietis ingeniis publicã Germa-niæ pacem plerũq; turbari cognouerat. Gallos hic intelligi volo, quibus id ſtu-dio ſemper fuiſſe videtur, vt Cæſaris di-gnitatem & incrementũ interpellarent. Hos in tanta occaſione veriſimile erat

non

non ceſſaturos, quibus nondum ea regione pacata, ad quoſuis Germani tumultus, ab illa parte aditus pateſieret. Cæſar itaque his rebus adductus, vel aliis fortaſſe de cauſis quas rectius ipſe ac nos intellexerit, qui talium rerum aliud nihil aſſequimur præterquã quod manuum vſu tractamus, eam ſibi expeditionem ſuſcipiendam exiſtimans, Albano negocium dat, vt cum Hiſpanorũ & quibus Madrucius & Schamburgius præfecti erant cohortibus, antecedat, Italorum quoque affectas reliquias adiungat, quorum numerus ad tãtam erat paucitatem redactus, vt rationem ineundam non duxerim. Continens enim labor, & intolerandæ frigoris, imbrium, ac niuium difficultates, quum exercitũ omnem miſerandis modis afflixiſſent, hos etiam præ cæteris, & ſtipendii tarda fraudulentaq; mora, & tribunorum centurionumq; alta ſocordia languidiores effecerant, & plurimum attenuauerant. A quo enim die ad Prentiũ amnem Cæſar caſtrametatus eſt, paulatim exercitus noſter (vt ſupra monſtrauimus) nu-

mero

mero & viribus imminutus eſt, quũ Lãt-grauius cõtrà, auctioribus indies copiis, caput etiam & vitam iuratus, prælio cõ-tendere non ſuſtineret. Albano cum ea quam diximus manu præmiſſo, additis aliquot Germanorum equitũ turmis, & quingẽtis qui proximè è Neapoli vene-rant cataphractis, continuo Cæſar ipſe ſubſequitur cũ reliqua parte equitatus: & legione, cui Georgius dũ viueret, pręfuerat, in demortui verò locum Ioan-nem ex Naſſouiorum gente iuuenem il-luſtrem ſuffecerat. Erãt omnino itinera tria, quibus itineribus in Virtembergẽ-ſium agrum perueniri poſſet. Quorum vnum per Hailprunam ciuitatem libe-ram & fœderatam facile erat & expedi-tum, qua exercitus cum tormentis com-modiſsimè duceretur. His rebus Vir-tembergenſis Dynaſtes permotus, quòd Cæſarem Hailprunam iam perueniſſe & Albanum ex itinere pleraſque arces & oppida à ſe auertiſſe cognouerat, vr-gere, & de pace cum Cæſare agere cœ-pit. Mox verò vbi exercitu vlterius pro greſſo, regionem omnẽ quàm latiſsimè

vaſtari

vaſtari, prædam ex omnibus locis agi, frumēta & pabula multitudine iumentorum atq; hominum conſumi, omnes vicos, omnia ædificia, & oppida omnia in Cæſaris poteſtatem venire, neq; ſibi iam reliquum eſſe quicquam præter arces aliquot natura, operibus, & commeatu munitiores, quàm vt obiter & velut in tranſcurſu expugnari poſſent, deniq; res ſuas in anguſto eſſe videret, ſaniores rationes & recta cōſilia ſequutus, ea pacis conditione quæ à Cæſare ferretur, ſe vſurum oſtendit. Hæc erat, vt tres arces quas ex omnibus Cæſar eligeret, ſine vlla mora traderet. Ille, quod imperatum eſt, facit, & Aſchpergum, Kirchēbergum, & Schorendorfiam Cæſaris poteſtati permittit. Erat harum quælibet tam loci oportunitate, quàm rebus omnibus quæ ad operis munitiones excogitari poſsint, inſtructiſsima. Schorēdorfia autem reliquis duabus præſtare viſa eſt, propterea quòd molita cibaria & commeatus qui duobus hominum millibus in multos annos alēdis ſufficeret, in ea prouiſus eſſet, machinarum quoq;

pulue-

pulueris tormentarii, & omnis generis armamentorum ſumma copia, quibus rebus fieret, vt quantumuis longa obſidione nec fames timenda eſſet, nec bellici apparatus inopia arx premeretur. Paſsim his omnibus locis qua Cęſar iter habebat (præcipuè autem Hailprunæ propter ſitus oportunitatem) multa Saxonis & Heſsi ænea tormenta deprehẽduntur, quibus illi in fuga ſe exonerauerant, quò expeditiore exercitu & itinere vterentur.

His ex ſententia geſtis Cæſar, Virtẽbergenſium Dynaſta perexiguo tempore ſubacto, ducentorum millium coronatorum ſumma quam imperauerat, nũmerata, arcibus traditis quibus regionẽ illam in officio quàm arctiſsimè contineret, per literas & nuncios à Burano fit certior, Francfordiam deditam duodecim cohortium præſidio occupari. Biduo verò poſt magiſtratus ipſe aduenit: Eum Cæſar eadẽ conditione qua & cæteris omnibus ignouiſſet recepit, libera ſibi decernendi poteſtate relicta, quod ex vſu terrę Germaniæ futurum ipſe po-

ſtea iudicaret. Poſtridie eius diei à ſeptē fœderatis ciuitatibus, inter quas Memminga & Campidonum erant, ad Cæſarem legati de deditione venerunt. Tanta enim pacis petendæ cupiditas omnibus inceſſerat, tantamq́; Cæſaris glorioſa victoria, qua tam leniter vtebatur, voluntatum commutationem attulerat, vt præter Auguſtam (quæ inani potentiæ confiſa, proteruè in peruicacia perſeuerabat) nulla Sueuiæ ciuitas eſſet quæ nō Cæſari pareret, atque imperata faceret. Siquidem ſola (vt diximus) victoria, & ſecundum eam proſperrimus rerum ſucceſſus, acerrimè pro Cæſare pugnās, hoſtes fugatos ac domitos longè lateq́; ſternebat. Hailpruna Cæſar profectus per Virtembergenſium agrum ſexto die Vlmam peruenit. Magiſtratus magno comitatu legatos ad fines præmiſerat, qui Cæſaris aduentum quàm maxima honorificentia atque amore exciperent. Hi quum eum in itinere conueniſſent, ſeq́; ad pedes proieciſſent, & Hiſpanica lingua vſi (quā vt familiariorem ipſi, ita & gratiorē ſe arbitrari dicebant) publi-

cas

cas priuatasq́; ciuitatis fortunas opesq́; omnes lubẽtiſsimis animis obtuliſſent, Cæſar eadem viciſsim lingua reſpondit, ſatisfactionem eorum & voluntatem ſe libenter accipere, quòd confideret nullam gratiam eſſe quam vel non capere animus eorum, vel in accipiẽdo nouis officiis demereri & illuſtrare poſſet. Hoc tam liberale reſponſum, &, vt peculiariter illi loquuntur, gratioſiſsimum, magno eis ad ſpem ſolatio & lætitiæ fuit, vt ex ipſa ſtudii & amoris ſignificatione cognoſci potuit. Germanorum enim omnium ferè in Cæſarem tã egregia eſt & ſingularis quædam voluntas, vt milites eum vno ore omnes iucundiſsima appellatione patrem nominẽt. Qua voce dum ex captiuis quidam certo quodam die ad Cæſarem perductus, inter loquendum vteretur, interrogatus ab eo num ſciret quis eſſet, ego te, inquit, noſtrum parentem agnoſco. Tum Cæſar, At ego in vos degeneres & impio facinore cõtaminatos, tanq̃ paterno affectu indignos iampridem abdicationem paraui, hos verò (circunfuſam

Germanorum multitudinem indice cõ-
monſtrans) officio & pietate filios veros
agnoſco, hos dicto audientes, mihi cha-
riſsimos habeo, &, qua parẽtem par eſt,
indulgentia & amore cõplector. Ea vox
& magna captiui illius perturbatione,
& ſummo Germanorum omnium qui
aderant applauſu excepta eſt. Nec ſuo-
rum animos modò, ſed & exterarum gẽ-
tium quoque & hoſtium ipſorum volũ-
tates, tãto amore & admiratione ſui de-
uinxit, vt plerique facti turpitudinem
pertæſi, docere conentur dolo à princi-
pibus circunuentos & impulſos arma ſe
contra ipſum tuliſſe, & planè inſcios in
quem bellum concitaretur. Id quòd ex
ipſo tædio & animi dolore facile pro-
bari queat, quum quidam ex illis genere
& opulentia clarus, ſola infamia & erro-
ris ſui indignitate commotus, vitæ ſuæ
durius conſuluerit. Ea eſt enim virtutis
vis, vt non tantum bonos, ſed etiam im-
probos ad amandum alliciat. Qua ra-
tione fit vt magno dolore omnes, fortu-
næ commutationem querantur, & Cæ-
ſaris in ſe indulgentiam requirant, mul

toq́ magis in pace petenda ſe id contendere, & laborare dicant, vt ad gratiam eius, & amicitiam receptum habeant, quàm vt ea deiecti, vitam & fortunas cõſeruent incolumes.

Auguſtani domeſtico iudicio & ſceleris conſcientia exagitati, exercitus noſtri aura iam ipſis afflante, tandem ad ſaniorem mentem reuerſi, ad Cæſarem legatos miſerunt, qui cum eo de ſalute ciuitatis & pacis conditionibus agerent. Is eo tempore erat in Vlmenſium municipio quodam, ſed quòd ea quæ legatì proponerent, Cæſari minus ſatisfacerent, (Schertelo enim veniam & impunitatem petebant, aut ea non impetrata, ne liberi paternis poſſeſsionibus mulctarentur, quorum innocentiam parentis crimine circunſcribendam non exiſtimabant) quum re infecta ſe dimitti viderent, aliud ſibi conſilium capiunt propoſito periculo, quo Senatum perterritum dicerent ne plebs in officio contineretur. A Schertelo enim magno militum præſidio ciuitatem teneri, ipſum eſſe Schertelum ſumma audacia,

magna apud plebem auctoritate & gratia, & qui priuatim largius poſſet quàm ipſi magiſtratus, quorum eiuſmodi imperia eſſent, vt non minus iuris in eos popularis multitudo haberet, quàm ipſi in multitudinem, dum in tali occaſione vel per flagitium, vel per imprudentiam plebs laberetur. Quo ſi deueniatur, infirmiores eſſe quàm vt reſiſtere poſſent, aut Schertelum cum præſidio è ciuitate expellere. Ad ea Cæſar ita reſpondit, ne quid ea re magnopere permouerentur, hanc enim ſibi curæ futuram, & quibus artibus ex oppido Schertelus eiiceretur, ſibi quærendum aut cogitandum putarent, breui enim ſe adfuturum, vt eos ipſo facto eiuſmodi artes edoceat. Hoc illi reſponſo & extrema pacis conditione, quæ à Cæſare præſcriberetur, accepta, domum reuerſi ciuitatem vſqueadeò commouerunt, vt confeſtim de deditione & Reipublicæ ſalute ad Senatum referretur, quam niſi cum Cæſare in gratiam rediiſſent, ſaluam non crederent. Coacto in curiam Senatu dum terroris ac periculi ple-

nus,

nus, ageret omnia raptim atque turba-
te, Schertelus ex inopinato ingreſſus,
ſcio, inquit, vos de grauiſsimis rebus
& de compoſitione cum Cæſare decer-
nere, atque operam dare ne quid Reſp.
detrimenti capiat, cuius ſalutem & com
moda ne priuatæ mihi vobiſcum neceſ-
ſitudines interpellent, ſtatui ex vrbe ex-
cedere, ſperans hoc me officio in po-
ſterum aliquando Cæſaris gratiam de-
mereri poſſe. Hæc quum dixiſſet ſe è Se-
natu eiecit, protinusq́; itinere quàm poſ
ſet, occultiſsimo, ad Heluetios, vt aiunt,
profectus eſt. Magiſtratus re iam deli-
berata, Vlmam ad Cæſarem reuerte-
runt, atque vbi ea dies, quam iis con-
ueniendo ſibi conſtituerat, venit, ipſe
in ſolio, quod ad eiuſmodi publicos
Imperii actus decenti ornatu inſterni-
tur, humi in genua prouolutos excepit.
Vnus ex his qui ad eam rem paratus ac-
ceſſerat, honoris & Imperatoriæ maie-
ſtatis titulos præfatus, quos eo potiſ-
ſimum tempore ad Cæſarem appellan-
dum accommodaſſet, in eandem ferè
ſententiam, quam prius Vlmenſes, ſup-

plex loquutus eſt: Senatus & populi Auguſtani maiores grauioresq́; in Cæſarē offenſas eſſe, quàm vt ſupplicium, quod iuſtiſsime cōmereantur, deprecari ſuſtineant. Sperare tamen pro ſumma æquanimitate eius, quam ab aliis incredibilē penè in eo lenitatem audiſſent, eandem ipſos in ſe experturos: quandoquidē ita ſe affectos ſentiant, vt quoſcunq; in præſentem diem miſericordia ſua non indignos exiſtimarit, eos omnes ſtudio, voluntate, & officio non æquari modo, ſed in immenſum etiā à ſe ſuperatum iri cōfidant. Orare ſe, & per ſacra omnia obteſtari, ne, quam ſpem & fiduciam firmiſſimam conceperint, ipſe animi ſui diuturniore offenſione perturbet. At quū ſe ſuaq́; omnia, patriam, aras & focos, vitam denique ipſam in libera eius poteſtate conſtituant, commeritas pœnas & ſceleris atrocitate condignas, in ſupplicis populi miſerationem conuertat. Cæſar his quoque communi cum Vlmenſibus reſponſo dato, quòd deditionē quā ſponte feciſſent, & miſerabilem culpæ deprecationē ex iuſto animi dolore na-

ſci confideret,ſeſe eos in fidem acceptu-
rum & conſeruaturũ dixit. Quibus ver-
bis quum legatorum animos confirmaſ-
ſet, mitiſsima conſuetudine ſua dexterã
cuiuſque prehẽdit, quo honore cæteras
quoque ciuitates affecerat. Vetus enim
Germaniæ mos eſt,vt in appellando,de-
xteras iungant, qua ſe mutua comitate
excipiant.

Vlma, Francfordia & Auguſta in de-
ditionem acceptis,& quatuor totius Im
perii primariis ciuitatibus ſolũ Argen-
toratũ ſupererat, quod cõpoſitionis &
pacis conditionem ſubiret. Mox tamen
hæc quoque ciuitas reliquarũ exemplo
adducta, miſsis prius ad Cæſarem lega-
tis qui peterent vt fide publica interpo-
ſita, magiſtratus tutò ad eum venire poſ
ſent, ea re permiſſa, paucis pòſt diebus
Cæſari ſe in priſtinam clientelam reſti-
tuit. Porrò autẽ vſu & experientia com
pertum eſt,leniſsimam Cæſaris victoriã
plus in Germania poſſe quàm pollicita-
tiones quorundam,& praua conſilia qui
bus multitudinem incitatam à Cæſaris
amicitia auerterẽt, & per ſimulationem

publicę vtilitatis, ſuo potius priuato cō pendio & rapinę ſeruirent.

Compoſitionis conditiones & pacis, quibus generatim Palatinum, Virtembergium, & alios pleroſq; nobiles potentioresq́; & ciuitates in fidem ac deditionem Cęſar accepit, fuerunt huiuſmodi.

Vt fœdus perpetuū & inuiolabile cū familia Auſtriaca paciſcerentur.

Si quam pactionē cum alio quouis hominum genere antea ſanxiſſent, eam cōtinuo frangerent & irritam facerent.

Ne quenquam ſibi in poſterum ſocietate aut fœdere quouis adiungerēt, niſi Cæſaris auctoritate ſtabiliretur.

Ioannem Fęderic um Saxonem & Philippum Heſſum cōmunes patriæ hoſtes publica conteſtatione damnarent.

In milites animaduerterēt, quotquot vel prius vel in poſterum ſub alio q̄ Cęſare ſtipendia mererent.

In ciuitates, arces & municipia, quod Cæſari viſum eſſet, præſidium reciperent: Quemadmodum Schamburgius Auguſtam, Naſſouius Vlmam, Francfordiam Buranus ſuis quiſque cohorti-

bus

bus Cæſaris iuſſu tenebant. Ad has con ditiones accedunt & aliæ nõnullæ quas in aliud tempus, quo rectius oportuni- uſq; confirmentur, Cęſar differendas pu tauit.

Sex continuos menſes formidoloſum hoc & difficile bellum contra ferociſsi- mam & armis duriſsimam gentem Cæ- ſar incredibili patientia & virtute ſuſti- nuit: quo tempore nulla vnquam, ne- que cura, neque diligentia, neque labor, neque contemptus periculi, neque ani- mi fortitudo Cæſari defuit, qualibus neruis opus illi fuerit, vel quiuis iudi- cet, vt maximo bello confecto, maxima- rum gentium victor diſcederet. Quin & hoc affirmare auſim Cæſaris ſolerti induſtria, nullo vnquam tempore for- tunam ſuperiorem fuiſſe. Siquidem or- dine rei & temporis ratione perſpecta, à quo primum die hoſtibus in cõſpectum venit, ipſe continuata vlterius progre- diendi celeritate, meliore ſemper & lo- corum & rerum omnium conditione vſus eſt: Illi cõtrà, mouendis caſtris plu- ribuſq; adeundis locis perpetuo retro- cedere

cedere coacti, ab Ingolſtadio, Danouer=to, Norlinga & Gienga repulſi, fugatis tandem diſperſiſq; copiis, vſque adeo leuioribus præliis calamitatibuſq; fracti ſunt, vt præter eam manum quam ex itinere & fuga contractam Fædericum Saxonem contra Mauricium duxiſſe monſtrauimus, aliȩ vires nullæ iam ſupereſſent. Lantgrauius enim tutiori receptui timens, domum contenderat, vt à Penatibus, qui ruinam iam imminentem augurabantur, periculum ſi poſſet, propelleret. Cæſar, quod in vtrunq; ſtatuerat, in commodius ſibi tempus reſeruādum exiſtimās, conceſſa interim aliqua facultate quietis, valetudini qua tenuiſsima erat, Vlmæ operam dabat, china radice vſus, quod ad podagram præſentius remedium antea ſæpe eſſet expertus. Virtēbergius Princeps domo profectus, vt, quæ Cæſari iam tradidiſſet, ipſe coram officioſiore oratione ornaret, ad quartū ab Vlma lapidē podagrȩ cruciatu, quo crudelius plerunque torqueri conſueuerat, impeditus reſtitit.

En tibi prioris Germanici belli ſuc=

ceſſum,

ceſſum, quę ſi attẽtiore cura perpendas, facile inuenies q̃ magnum ad victoriam momentũ attulerit, ꝙ quater hoſtes coacti ſint inuiti caſtris excedere. multò maius tamen quòd nec temporis, nec itineris, nec annonę difficultates Cæſarẽ ad inſequendũ tardarint. Nam quãtum ego iudicare poſſum, circa hunc potiſsimum cardinem victoriæ ſumma verſata eſt, quã ſingulari beneficio Deus Cæſari tam illuſtrem conceſsit, vt nullis vnquam ſeculis per obliuionis iniuriã ſit interitura. Equidem hanc ſcio magnitudinis inuidia & laudis obtrectatione grauari, quum tantę felicitatis ſplendorẽ, tenebris offuſis, æmuli conentur extinguere. Deus tamen qui æterno virtutis ac potentię ſuæ lumine Cæſari in rebus gerendis præluxit, ipſum quoq; in iiſdẽ conſeruandis promouendiſq́;, prudẽtię & magnanimitatis illuſtrabit fulgore. Imperium enim facile iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt.

# LVDOVICI AB AVILA

ET ZVNNIGA DE BELLO GERMANICO

*Liber poſterior.*

QVum eſſet Cæſar Vlmæ in hybernis, ita vti ſupra demõſtrauimus, & omnib⁹ modis operã daret, vt ciuitates quæ in deditionem venerãt, controuerſiis minutis ac metu ſublato in pace & officio continerẽtur, reliquæ verò, à quibus ſollicitabatur, ad eaſdem conditiones deſcenderẽt, magna Germanię parte pacata, totus & mente & animo in Saxoniæ bellum incumbit. Crebri enim ad eum rumores afferebãtur, literiſq; Regis fiebat certior, ab Ioãne Fęderico nõ modò quæ Rex & Mauricius oppida per vim occupauerant, eſſe recepta, ſed & hos quoque ipſos parte finitimi agri ſui depopulata, oppidiſq; aliquot expugnatis, nõ facile à reliquis vim hoſtium prohibere. Ipſum autem Fædericum totius hyemis nullum tẽpus intermiſiſſe, quin ad Boëmos literas, legatoſq; mitteret, ciuitates ſollicitaret, vulgus magnis

præ-

præmiis pollicitationibuſque ad ſe alliceret, quibus tandem rebus effeciſſe, vt regno illo in grauis tumultus & ſeditionis periculum deuocato, Ioachimicam vallem locupletem ac diuitem occuparet, ærariis ſecturis & auri argentiq; fodinis abundantiſsimam, ad quam tamen rem diſsimulata magis Boëmorum proditione, quàm virtute Thumſerni legati vſus fuiſſe videretur. Illi enim primò falſa timoris ſimulatione adminiſtrabãt omnia, poſtea verò freti amicitia Saxonis, & ſtulta ac barbara arrogantia elati, manifeſtè Regis imperia detrectabant.

His nunciis literiſq; commotus Cæſar, neglecta valetudinis cura quam continentes ſuperioris belli labores grauiter moleſteq; affecerant, quum tam multæ eum res hortarentur, quare bellum hoc ſuſcipiendum, & ſibi ipſi adminiſtrandum putaret, nouis Saxoniæ motibus quos expectabat, quàm maturrimè occurrere, & quæcunque ad expeditionem neceſſaria eſſent, magna ſollicitudine comparare incepit.

Fæde-

Fędericus enim peditum circiter milli-
bus decem, & quatuor equitum quę ſe-
cum habebat, Saxoniam omnem, prętet
Zuicauiam, celeriter in poteſtatem rede
gerat, Mauricio ipſi ſola Lipſia, & Dreſ-
ſum reliqua erant, Zuicauiam tamē, quā
hoſti prius ademerat, valido etiamnum
pręſidio firmatam tenebat, atque eò de-
mum perducta res erat, vt non Saxones
modò in veterem clientelam reſtituti eſ
ſent, ſed Boëmi quoq; neq; beneficiis, ne
que ipſa fidei qua Regi ſuo obſtricti eſ-
ſent religione mouerentur, quo minus
Fæderici amicitiam ſequuti, audacter &
apertè quod ab eo imperaretur facerēt,
& filias Regis per flagitioſam diſsimula-
tionem violata fide, in arce Pragenſi in-
cluſas tenerent.

Porrò Cæſar priuſquam Vlma diſce-
deret, vt nouum tam longinqui itineris
laborem vitaret, Albertum Brādenbur-
genſem cum mille octingētis equitibus,
ſedecim cohortibus, & præcipuo belli
neruo pecunia, nihil præſentia ſua opus
fore exiſtimans in Saxoniam miſerat.
Erāt hæ vires quidē, ſi cū Regiis Mauri-
cianiſq;

cianiſq; copiis coniungerentur, & cum apparatu conſilia reſponderet, ſuperiores multò quàm vt iis à Saxone reſiſteretur. ſed quòd alieniore paulò ratione bellum gereretur, quàm initio cœptum eſſet adminiſtrari, Sandium quoque tribunum & Marignanũ cum ſuis vtrumque cohortibus ſummiſerat, quo validiore ſubſidio Regi & Mauricio ſubueniretur. His etiam in itinere poſtea ſubſiſtere, atque in eo loco quo tum eſſent aduentum ſuum expectare iuſsis quòd nullus ferè dies intercederet, quin è Saxonia nuncii perferrentur, neceſsitatis & periculi pleni, quique ipſum bello gerendo præſentem depoſcerent, non labori ſuo, non periculo, non valetudini parcendum ſtatuit, quin Regi laboranti & Mauricio quàm celerrimè poſſet, auxilium ferret: præſertim quòd intelligeret non horum fortunas modò quouis in Saxonia accepto incommodo in dubium vocari, ſed totius quoque Germaniæ tranquillitatem rurſus turbari, ſi incendium hoc excitatum tam longè ſerperet, vt partę paulò ante vi-

ctoriæ fructus, ardentiore nouorum motuum flamma conſumeretur. Itaque his omnibus diligēter animaduerſis, Hiſpanos & Germanos ex hybernis eduxit, æneiſq; tormentis aliquot ab Vlmenſibus ſumptis, ipſe in expeditionem profectus eſt.

Virtembergenſis Princeps, quem hactenus à conueniendo Cæſare, vti imperatum erat, morbus prohibuerat, data iam per meliuſculam valetudinē facultate, ipſo qui profectioni noſtrę dictus erat dies, Vlmam venit, vt dedititii clientis in victorem patronum officio fungeretur. Itaq; geſtatoria ſella in regiam delatus, q̄ podagræ morbo implicitus, nec ſtare, nec in genua ſeſe prouoluere poſſet, Cæſarem in anteriore aula, dum prandet, expectat. Is tandē remotis menſis, prodit, Virtembergium præterit nec reſpicit, thronum aſcendit, & omnibus iis quæ in eiuſmodi ſolennitate fert conſuetudo, ritè peractis, facit oratori loquendi poteſtatem. Is erat Virtembergenſis Archigrammatæus, qui protinus cum conſiliariis aliquot humi ad pedes

pro

proiectus, pro eo facit verba. Virtem-
bergium Dynaſten quod antea per mor
bum non licuerit, id nunc repræſentare,
& ſummo animi dolore criminis ſui ma
gnitudinem vltro ac publicè confiteri,
quòd Cæſaris Maieſtatē facinoroſa fœ-
deris ſocietate & impia armorũ conten
tione minuerit. Dignum quidem dicere
ſe cui & grauiter ille & iuſtè ſuccenſeat,
ſed vt facti ipſius indignitas, omnem irę
in ſe & ſupplicii modum excedit, ita pœ
nitentiam quoque ſuam rationi conſen
taneam eſſe, atque huius iuſſu ad lachry
mas & veniæ petitionem impelli. Non
minus enim ſpei à lenitate eius & miſe-
ricordia dari, quàm à fide ſua per ſcelus
violata deſperationem adferri. Suppli-
cem orare ſe & obſecrare, ne fruſtra cle-
mentiam eius imploret, qui, niſi naturæ
vim inferat, eam petenti negare nō poſ-
ſit. Vnum ſe in terris Cæſarem agnoſce-
re, cuius beneficio quum vitam ipſam &
patriam habeat, ingratiſsimum fore ni
beneficium acceptũ fidei promiſſę, quo-
ad vixerit, perpetua conſeruatione te-
ſtetur.

Ad ea Cæſaris iuſſu, Scribarum prin-ceps, quem Cancellariũ hodie dicimus, ita reſpondit. Cæſarem conſuetudine ſua & lenitate adductum, Vdalrico Vir-tembergio in præſentia parcere, & in po ſterum quoque offenſarum omnium im memorem fore, modò promiſsis & pa-ctionibus ſteterit, neq; velle ipſum cum ſuis ad vltimum ſuppliciũ progredi, aut regionem cęde atq; incendio vaſtari, ne, quas Princeps commeruiſſet, innocens populus pœnas luat. hac oratione à Cã-cellario habita, Virtembergius, cõſilia-riis adhuc humi proſtratis, iureiurando quæ pollicitus eſſet, facturũ confirmãs, pro tãtis in ſe beneficiis è geſtatorio gra tias egit, ita enim per legatos ſuos prius à Cæſare impetrauerat, vt eius volunta-te id fieri liceret, quandoquidẽ per poda grę vim, nec manibus nec pedibus libe-rè vteretur. Id fuit Vlmenſibus horren-dum ſpectaculum, vt enim Virtember-gio Dynaſta è vicinis nemo potentior erat, ſic hũc quoq; ditione, opibus, & au-ctoritate ampliſsimum præ cæteris ſu-ſpiciebant.

Cæſar

Cæſar dimiſſo Virtembergenſi, con-
feſtim Vlma diſcedens,ea nocte Giengā
peruenit, quo loco hoſtes ſuperiore bel
lo ſtatiua habuerant. E ſpacioſiſsima ca
ſtrorum dimenſione, hoſtium multitu-
do facile cognoſci potuit. Ibi quoq; tum
videre licuit maximas operis munitio-
nes qua parte linteatis agminibus Cęſar
eos noctu adoriri ſtatuerat, quemadmo-
dum in priore commentario commemo
rauimus. Ea certè erat operis & loci na-
tura, vt æquiore multo conditione pro-
pugnare caſtra potuiſſent, quàm nos in
ea irrumpere. Poſtero die quum Nor-
lingam ventum eſſet, temporiſq; ſæuitia
& prius omiſſa curatio podagrā exaſpe-
raſſent, vſqueadeo valetudo eius atte-
nuata eſt, vt longioris morbi metu in ma
ximam ſollicitudinem ſimul omnes cō-
iiceremur. Ipſe tamen quum omnia faci
lius q̄ morā perpeti poſſet, nec lenta re-
media ſegneſq; medicos tempus expete
ret, nihil inexpertū omiſit, quicquid ce-
leritate remedii & præſentia iuuare poſ-
ſe confideret, adeò vt omnium expecta-
tione maturius & lectum reliquerit, &

corporis vires receperit.

Interea Fędericus auctiore indies exercitu, nulli temporis occaſioni deerat, vt Saxoniam vniuerſam ſubigeret, quas enim cũ Alberto copias paulò ante Cæſar præmiſerat, duce ipſo capto, pulſas ſuperatasq́; fugauerat: id ita accidit. Cæſariani, quique in Saxonem bellum gerebant, inſtituta ratione exercitu in ſtationes oportunè diſtributo, finitima contra hoſtem loca præſidiis tenebant, Dreſſum Ferdinandus rex, Mauricius Friburgum, Rochliziam Albertus mille octingentis equitibus, & militum cohortibus decem. Zuicauiam quoq; & Lipſiam firmiſsimis præſidiis communierant. hanc paucis ante diebus Saxo tentauerat, & expugnare conatus, quum à militibus qui in ſtatione erant ſtrenuè & induſtriè defenderetur, paucis in oppugnatione amiſsis re infecta inde diſceſſerat. Rochlizia, quã ab Alberto occupatã diximus, ſub illuſtris cuiuſdã fœminę imperio erat, Ea Lantgrauii ſoror, marito amiſſo mãſerat in cœlibatu. Huius illecebris & conuiuiorum frequẽtia

ineſ-

ineſcatus Albertus, inter vinum & epu-
las (vt Germanis ſolennè eſt) choreis eti
am aliiſq; id genus delitiis animum oble
ctabat. quibus artibus illa fidem, & ami-
citiam, ſimulás, altiore ſecuritate homi-
nis mentē ſopierat, quàm vt virum prin
cipem & belli ducem deceret. Fæderi-
cus enim his de rebus ab ea certior fa-
ctus, quòd nō longius tribus miliaribus
cū triginta & ſex cohortibus, magnóq;
equitum numero ad Gartam cōſederat,
ſumma celeritate & ſtudio vſus, poſtri-
die ante lucem Albertum incautum de-
prehendit. Is repentino malo cōmotus
ex oppido eruptione facta, quod campeſtri
prælio fortunam tentare mallet q̄ loco
non ſatis munito ſe continere, dum for-
tius pro virtute militis, q̄ pro ducis ſoler-
tia pugnat, fuſis tandē profligatiſq; ſuis,
viuus in hoſtiū poteſtatē peruenit. Va-
ria de hac re poſtea in vulgus opinio edi
ta eſt, quum alii nulla ratione oppidum
ſuſtentari potuiſſe dicerent, alii contrà
facile id factu fuiſſe, dum à Mauricio,
qui in propinquo erat, equitum ſubſi-
dia ſummitterentur, alii rurſum idcirco

Albertum oppido egreſſum eſſe, quod co-
hortes quatuor, quas in ſuburbio collo-
cauerat, ſaluas cuperet, neque enim eas
alia ratione ſeruari potuiſſe, niſi cum re-
liquis, quę pro oppido caſtra poſuerant,
coniungerentur. At quomodocunque res
habeat, hæc ſanè ſententiarum varietas,
eò recidit, vt circiter quingentis equiti-
bus captis & cæſis, reliqui ex prelio ela-
pſi, partim ad Regem in caſtra peruene-
rint, partim ad Ioan. Fędericũ perfuge-
rint, ad quem pedeſtrium copiarum om
nia ſigna militaria relata ſunt. Ex legio-
nariis militibus cecidere perpauci. Mul
ti ad Regem & Mauricium ex fuga ſe re-
ceperunt, plures in deditionẽ venerunt,
iureiurando adacti (qui hodie mos eſt)
contra victorem ſe proximis menſibus
aliquot arma non laturos. His enim con
ditionibus vita & libertas victis à victo-
re conceditur. Albertus eo prelio facto,
continuò Gotam perductus eſt. Id oppi
dum Fęderico parebat, opere & natura
loci quàm munitiſsimum.

Hanc victoriam Saxo adeptus, non eã
belli rationem ſequutus eſt, qua plerique
ipſum

ipſum vſurum eſſe exiſtimabant, vt recenti rerum geſtarum opinione & fama, protinus ad Mauricium, qui proximus erat, aduolaret, ſed eum Friburgi ſibi relinquendũ iudicans, & de Boëmiæ rebus agendum, Thumſernum legatum properê cum ſexcentis equitibus & cohortibus duodecim miſit, & quid fieri vellet oſtendit. Thumſernus, Boëmorũ tecta proditione, iiſq; artibus, quibus ſupra demonſtrauimus, Ioachimica valle potitus eſt. Tale omnino rerum ſuarum fundamentum Fædericus & Boëmi iecerunt. Quibus omnibus Cæſari nunciatis, quum à Rege & Mauricio eo conſilio bellum adminiſtrari cognoſceret, vt è præſidiis quib[9] oppida & arces præcipuæ continebantur, milites ad pericli tandam fortunam amplius non deducerentur, maturat Norlinga proficiſci.

Paucis ante diebus q̃ inde diſcederet, Senatus Argentoratenſis ad eũ legatos miſit, nobiliſſimos ciuitatis & magiſtratus. Hos Cæſar, quibus viſum eſt cõditionibus, in fidem & clientelam accepit, quarum conditionum hęc ferè ſumma erat.

Vt Cæſaris ſacramento rogarentur, quod ante id tempus, Imperatorum acciderat nulli.

Fœdera eiurarent quęcunque in eum diem ſanxiſſent, iureiurãdo ciuitate obſtricta, nullum in poſterum percuſſum iri, quod Auſtriaca domus ipſa, princeps non iungeret.

De ciuibus & clientibus qui contra Cæſarẽ militaſſent, quæſtionẽ haberẽt.

Damnatos pœnam ſequi oporteret, quam conſtituiſſent.

Supplicio & edicto alios quoq; in reliquum tempus terrerent.

Conſpiratos & in Cæſarem rebelles, ciuitate eiicerent. In quorum numero Gulielmus Fuſtenbergius erat, quem cõmuni cõſenſu ciuitas præfectum rei militaris probauerat. Is nunc omni ſtudio & ſatisfactione adhibita, Cæſari ſe purgatum cupit, & gratiam qua merito exciderat, nouis officiis conciliatam.

Pecuniam, tormenta, arma, quæq; reliquis ciuitatibus imperata fuiſſent, ea & ipſi ſine mora traderent. Quæ omnia diligenter ab eis ad diem facta ſunt. Hæc

ego

ego magna breuitate perſtringo, multis etiam ſtudio prætermiſsis, ne ab ea quã inſtitui commentariorum ratione compendiaria, deflectere videar. Satis enim habeo in præſentia alios ad ſcribendum impellere, quibus hunc campum Cæſar tam latè patentem aperuit, vt non exiſtimem in eo quemquam decurrere poſſe, qui geſtorum gloriam ingenii & eloquẽtiæ viribus aſſequatur.

Cæſar Norlinga profectus cum duabus veteranorũ legionibus, quibus Marignanus & Illiprandus, dũ viueret, pręfecti erãt, Norimbergã iter ingreſſus eſt. Is Illiprãdus ſub Cęſaris diſceſſum, æſtu antiſsima febri repẽte correptus, Vlmæ ſummo oĩm dolore extinctus eſt. Quem dũ Cæſar amitteret, optimi fortiſsimiq; viri iacturã fecit. Spem enim de eo ſingularẽ omnes conceperãt fore, vt propter eximiam virtutis opinionem, magnę aliquando inter Germanos haberetur auctoritatis. Præter has quas diximus legiones, tertiam Cæſar per Ioãnem Vualterum, nobilem Sueuum conſcripſit. Hiſpanorum quoque cohortes omnes,

equitatum Neapolitanũ, ſexcẽtos equi-
tes leuiores, mille cataphractos ex Ar-
chiducis, Pruſsi, & Ioannis Brandẽbur-
gii numero ſecũ eduxit. Albanum autẽ
itinere dierum aliquot Norimbergam
præmiſerat, qui copiis omnib9 circa op-
pidum collocatis, per manſionarios deſi-
gnatores Cæſari & aulicis hoſpitia de
more adornãda curauerat, Marignanis
tamen cohortibus octo intra muros re-
ceptis, quarũ præſidio (quũ ita omnino
poſcere videretur neceſsitas) Cæſaris in
ea ciuitate maieſtas retineretur. Quanq̃
enim optimates reb9 eius enixè fauerẽt,
quũ vulgus tamen furore ac rabie perci-
tũ, multa ſępe deſignet pedicis ac fræno
digna, non alia ratione tũ videbatur re-
ctius coërceri poſſe: Ipſe cũ cohortibus
aliquot quas ad corporis ſui cuſtodiam
retinuerat, Norimbergam ingreſſus, ma
gna ciuiũ gratulatione exceptus, ad ve-
tus hoſpitium in arcem diuertit, ibiq; di
es circiter quinq; moratus, exercitus &
valetudinis ſuæ, qua nondum ſatis con-
firmata erat, viribus colligẽdis vacauit.

Si præſentis belli ſeminarium oculis

&animo luſtres,idem prorſus eſſe cum ſuperiorē,nec male fortaſsis, exiſtimes: eò quòd ex iiſdem radicibus viſum ſit fruticeſcere. At ego non vnum ſed geminum fuiſſe crediderim. Nam quod à fœderatis geſtum eſt,Cæſar diſperſis ac ſuperatis numeroſiſsimis hoſtiū copiis, ciuitatibus ſub iugum miſsis, potētiſsimis quibusq; principibus ad deditionē compulſis,iampridem confecerat.Saxo nicum verò bellum hoc, licet ad Fæde ricum ſuperioris imperii ſumma cum Lantgrauio communicata rediiſſet,non ob id tamen ceu membrum alterius æſti mandum ſit, ſed noui enaſcentis præcipuum caput, cui amputando, Cæſar in primis neceſſe habuit, vt ſubtiliſsimum conſiliorum ſuorum mucronem,acutiſſimumq; virtutis ac fortitudinis ferrum conſtringeret. Nolo equidem res ab eo geſtas immodica prædicatione extollere,prȩterquam enim quòd amplitudine ſua laudem omnem excellant, alienum certè ab honeſto iudicari poſsit, ſi educationis munus, quod ab aulicæ domus illius benignitate mihi impēſum eſt, videar

dear

dear aſſentatione rependere. Sunt enim per ſe tam egregiæ & admirabiles, vt facile hunc mihi laborem diminuant. Hoſtium verò facta, quò Cæſaris illuſtriora fiant, multo minus efferre volui, ſed ea duntaxat cõmemorare, quæ oculis viderim ipſe, quum toto hoc bello nil ferè ageretur, cuius teſtis non eſſem, circa Cæſarem aſsiduè verſatus.

Erat Ægra Boëmiæ oppidum, ad fines qua Saxoniam ſpectant, extra ſyluas poſitum. Huc propter loci oportunitatem Cæſar cum Rege & Mauricio ad certum diem conuenire, & omnem commeatum totiusq; belli apparatum conferre ſtatuerat. Quibus confirmatis rebus, Dreſſo Ferdinandus, Mauricius Friburgo profecti, hoſte ad dexteram relicto, qua proximum iter per Laytemiriam erat, Boëmiæ regnum ingreſsi ſunt, vt per ſyluas, quibus velut circino ea regio circũducitur, copias traductas, maturius cum Cæſare ad Ægram coniungerent. At Boëmi, manifeſta iam defectione, non inanem eſſe ſpem ſignificarant, quam Fæderico prius de ſe præbuerant.

buerant. Hæc paulatim ſic erat amplificata, vt variæ ex ea opiniones enaſcerẽtur, quas ſilentio prætereundas hoc loco duxi, quòd incertiores mihi ſint, q̃ vt eas in medium proferre debeam.

Norimberga Cæſar relicta, quum tridui viam proceſsiſſet, nunciatum eſt ei Regem & Mauricium ad iter dierum aliquot Boëmiam ingreſſos, crebris arboribus ſuccißs tranſitu prohiberi, id facinus quendam ex coniuratis Boëmis, auſum eſſe, qui magna perditorum coacta manu, quà Regem cum Mauricio iturum cognouerat, locis aliquot, introitus omnes præcluſerat: qua neceſsitate Regem adductum, quòd aliquoties ſi perrumpere poſſet conatus, arborum truncis, operis munitione, & facinoroſorum concurſu repulſus, hoc conatu deſtitiſſet, longinquiore montium ſyluarumq́ circuitu per arces nobilium aliquot Boëmorum, quos fidem ſuam amicitiamq́ ſequutos in expeditionem ſecum adduxerat, Ægram ad Cæſarem proficiſci, atque ad eam rem Hiſpanorum velitum præſidio ſibi opus eſſe dicere

cere,quò expeditiore per ſyluas itinere vteretur. Cæſar neceſſariis rebus prouiſis; vbi diligenti Boëmorum ſtudio, quos Regem ſequutos eſſe iam diximus, tutum eſſe iter,nec aduerſariorum præſidia ad ſaltum perueniſſe cognouit, Hiſpanos retinuit. Gaſpar Fluſchius erat, coniurationis Boëmicæ princeps ſumma nobilitate & potentia inter ſuos,hic itinera infeſta reddebat,hic magnam cli entium partem à Regis amicitia auertebat,hanc nimirum pro maximis in ſe be neficiis gratiam referens, vt quum antea iam per ſupplicium agris mulctatus, omnibus bonis ereptis,damnatus & exul, regia liberalitate in priſtinum ſtatum rediſſet, magis tamen conſtitutæ per iudicium pœnæ, quàm fortunæ & amplitudinis per beneficium reſtitutæ memoria moueretur. Ita enim prauitate naturæ comparatum eſt ingratis, vt beneficii accepti prima omnium obrepat obliuio.

Aiunt Boëmos facta coniuratione no bilitatis,dum de ſaltibus occupandis cō ſilia inirent,indicto inter ſe ſolenni con

uiuio

uiuio frequentes ad id conueniſſe,& imperii ſumma in controuerſiam deducta, cui ex omnibus potiſsimum traderetur, ſortibus rem permiſſam fuiſſe, harũ vel fraude vel ſuffragio Gaſparẽ Fluſchium principatum obtinuiſſe,nõ quòd virtute aut ſolertia præ cæteris ad eam rem videretur idoneus,ſed quòd opibus copiiſq́ꝫ potentior eſſet, quibus ſaltus defenderet, quorum etiam magnam partem ipſe ſub imperio ſuo & ditione tenebat. Huc accedebat quòd minus ſequundo rerũ euentu cuperet vnuſquiſqꝫ periculum à ſe repelli,& in alienum potius quàm in ſuum caput recidere. Vtut eſt,parum certè laudandæ in Regem vo luntatis,à magna regni illius parte ſignificatio facta eſt.

Ferdinãdus Rex iam per anguſtias & arces quas demonſtrauimus copias ſuas Mauricianaſq́ꝫ traduxerat, quod poſtq̃ Cæſar per nuncios comperit, ad tertiũ ab Ægra lapidem caſtra locauit. Id oppidum, vt paulò antè oſtendimus,eſt in fide & clientela Regis Boëmiæ, extra ſyluas ad fines Saxoniæ ſitũ. Boëmia enim

maximis denſiſsimisq́; ſyluis vndiq; fe= rè cingitur, qua ſola parte Morauiam ſpectat, expeditiorem faciliorémq; adi= tum habet, reliquis locis ita circummu= nita, vt continentes ſyluæ ac paludes circunquaq; pro natiuo muro obiician= tur. Quæ regio ſylueſtri hoc circulo cõ= tenta, plana eſt, maximeq́; frumentaria, vicis & oppidis frequens. Natio eſt om= nium Boëmorum natura fortis, & decẽ= ti ferè corporum ſtatura. Equites eo= dem armorũ genere quo Germani vtun tur, pedites multum ab eorum diſcipli= na & armorum conſuetudine differunt, quorum alii bipennibus, alii venabu= lis, ſclopis alii & ſecuribus vtuntur. Has illi ſcienter ad paſſus viginti in ho= ſtes contorquent. Plures quoque ſudi= bus, ſex fermè cubitorum longitudine armantur, clauæ ſpecien reddentibus, ad quarum extremitatem dodrantalis fuſtis æratus catena appenditur. Habuit olim ea gẽs honeſtam bellicæ laudis opi nionem. At nunc ſuperiori rei milita= ris gloriæ nonnihil deceſsiſſe videtur. Magna Saxoniæ pars ab Ægra ad Albin

vſq; fluuiũ ſyluas Boëmiæ finitimas habet. Is fluuius in Hermũduris ortus mediam fermè Boëmiam diuidit, inde per Laytemiriam & anguſtas montium fauces in Saxoniam, ac mox in Oceanũ ſeſe euoluit. Hæc ad præſentem locũ neceſſaria iudicaui, quòd magnã rebus à Cæſare geſtis lucem viderentur afferre.

Rex, Mauricius, & Ioannes Brandenburgenſis Ioachimi principis Electoris filius, quẽ pater amicitia & pactione cũ Ferdinando iuncta in expeditionẽ miſerat, tribus vt dictum eſt ab Ægra miliaribus ad Cæſarẽ in caſtra venerunt. Equeſtrium copiarum, quas conduxerũt hæc erat ſumma. Grauis armaturę Rex octingẽtos, Mauricius mille, Brandẽburgius quadringẽtos, pulchrè ſimul oẽs inſtructos. Præter hos & alii nongẽti leuis armaturæ Hungari Regẽ ſequuti ſunt. Hi iudicio meo quẽlibet id genus equitatũ virtute præcedũt, quã de ſeſe opinionẽ & ſuperiori Germanico, & præſenti Saxonico bello incredibili animorũ fortitudine cõprobauerũt. Haſtis vtũtur cauatis & lõgis, quibus infeſtis procurrũt,

& aduerſarium grauiſsimo ictu percu- tiunt. Scuta iis ſunt è ligno aut cortice facta repanda & concaua, quorum lati- tudo ab ima parte ad mediam ferê pro- tenditur. Hinc paulatim anguſtiora fi- unt,& in tranſuerſum obliqua velut in conum faſtigiantur, qui ſupra verticem geſtantibus attollitur. Hæc illi pro mo- re habent ſymbolis pictis & inſignibus exornare. Enſes curuatos ad acinacis fi- guram & ſpeciem ab humeris penſiles gerunt, nonnulli etiam tereti cuſpide gladios addunt, quorum cataphractis noſtris ad hoſtem confodiendum hodie multus eſt vſus. Malleos quoq; ad vſum militarem circunferunt, haſtili oblon- go, quibus in prælio induſtriè ſatis vtun tur. Cum Hiſpanis arctam familiarita- tem & neceſsitudinem contrahũt, quos communem ſecum à Scythis originem ducere prædicant. Hũc equitatum Rex Ferdinandus adduxit, peditum quos cir cũ ſe habebat cohortibus quatuor Dreſ ſi, atque vna paulò pòſt Ægræ præſidio conſtitutis, reliquis verò in Boëmia pri- us exauctoratis. Mauricius quoque pe-

ditatum omnem ad Lipſiæ & Zuicauiæ cuſtodiã diſtribuerat, magnis enim eas vrbes munitionibus firmatas oportuit, quòd Fædericus Germanorum peditũ, quos mercede conduxerat, millibus circiter octo, pariq; populariũ numero, & tribus equitum millibus, iiſdem locis appropinquabat, reliquas enim copias & equitatum, cũ Thumſerno, vt ſuprà monſtrauimus, à ſe dimiſerat.

His ita cõſtitutis Cæſar Ægram profectus eſt, Rex poſtero die ſubſequitur. Ea ciuitas in antiquę religionis inſtituto hactenus conſtanter permanſit, quod mirum profectò videri queat, in media Saxonum & Boëmorum vicinitate. Ex his enim rariſsimi quiq; veteris fidei noſtrę cultum obſeruant, illi verò omnes prorſus ab ea deficiunt. Paſchalibus feriis Cæſar Ægræ peractis, Albanum cũ omnibus copiis & parte equitatus præmiſſum continuo ſubſequutus eſt. Erat in exercitu Cæſaris Antonius à Toleto, ex Albanica gente iuuenis illuſtris ac ſtrenuus, quem ſuperiore bello quadringentorum equitum ordines duxiſſe mõſtra-

 uimus.

uimus. Is ab Albano cũ cohortibus quatuor & tribus leuis armaturæ equitũ turmis ad proximũ Saxoniæ oppidum miſſus, leuiore prælio cum hoſtibus facto ciues in deditionem venire coëgit. Milites qui cohortiũ duarũ præſidio oppidũ tenebant, ſignis militaribus & armis traditis, dimiſſi ſunt. Omnis ea Saxoniæ pars quę ad Ægram pertingit, aſpera eſt, paludibus & ſyluis inculta, ad oppidum Plaum, quod ſeptẽ circiter miliariũ interuallo ab Ægra diſsitũ eſt, in apertiorẽ planiciẽ, patentioresq́; campos & virentia prata, regio paulatim extenditur. Ea tota ſic erat in armis, vt nulla ferè fuerit arx, nullum oppidum, quod Saxonico præſidio non occuparetur. Ipſe Fædericus circa eadem loca cum exercitu erat, vt quæ nondum recuperauerat, aut vi, aut metu in poteſtatem redigeret.

Interea Cæſar quum nihil æquè depoſceret, atq; hoſtem cum vniuerſis viribus paratum loco aperto prius deprehendere quàm Vitembergam, Schoneualtum, Gotam, Holdrungam à Mãsfeltio paulò ante captam, ille recipiẽdi ſui

facul

facultatem nanciſceretur,(horum enim ſingula bellicarum rerũ omniũ apparatu ſic erãt inſtructa,vt facile poſſent bellum in multos annos producere) q̃ maximis poteſt itineribus Miſniam contra eum contendit. Id oppidum paucis ante diebus Mauricius amiſerat, ibiq́; quòd in omnem euentum rebus ſuis peroportunũ cenſeret,cum exercitu Saxo conſederat, vt & cõmodiſsimè ex eo loco Albin ponte conſterneret,& magnis peditum equitumq́; auxiliis, quæ à Boëmis vicinis eò conuentura ſperabat, maturius ſeſe firmaret, vel, ſi vſus ferret, tutius breuiusq́; ſe Vitembergam reciperet. Cæſar itinere non intermiſſo,pręſidiis aduerſariorum, è multis quæ occupauerant locis, reiectis, primo aduentu ſuo arces & oppida nõnulla propinquiora in deditionẽ accepit. Lanoius enim vno die tres hoſtium cohortes, vnã Aldana cum leuiore Hiſpanico equitatu & Hungaris nonnullis excurrẽdi populandiq́; cauſa miſſus, diſsipatas fugarũt, mox inſequenti die Georgius Spethus, vna Germanorũ legione & perexiguo

equitatu hoſtium cohortes octo à Fæde
rico Schenebergæ tuendæ cauſa in ſta-
tione locatas, ſignis militaribus omni-
bus ad Cæſarem relatis, armis exutas di-
miſit, paucorumq; dierum itinere à no-
ſtris pleraq; tam eximia virtute & felici
tate geſta ſunt, vt iniquitate compendii
mei dum opprimuntur, reiectione facta
æquiorem meritò narrationis ſuæ iudi-
cem ſubſortiantur.

Dum eo ſtatu res eſſent, nec longius
tribus à Miſnia miliaribus Cæſar caſtra
locaret, militesq; iuſto eius diei itinere
confecto à ſignis iam ad quietem diſce-
derent, ſubito nunciatum eſt, Thumſer-
num cum copiis & equitatu non procul
abeſſe, Is nuncius Regem & Mauricium
vſq; adeò perculit, vt aduẽtare iamiamq;
& coram illũ adeſſe rati, pleraq; raptim
ac tumultuariè prouidenda cenſerent,
qualia tã incertis eius famæ auctoribus,
totiusq; diei continenti labore & æſtu
fatigatis militibus, præſens rerũ ſtatus
non admodum videbatur expoſcere.
At Cæſar quem rumores eiuſmodi ni-
hil cõmouerant, ducentos ex regio equi

tatu

tatu Hungaros,totidemq́ꝫ leuis armatu-
ræ equites diuerſis itineribus ad explo-
randa loca dimittit, reliquas interim co
pias conquieſcere iubet,quod nobis qui
dem meliore ratione à Cæſare factũ vi-
detur,q̃ ſi incertis rumoribus ſeruiẽs,mi
litem inutili labore conficeret.Specula-
tores vbi ad eum locũ veniſſent, quo in
loco Thumſernũ conſediſſe Mauricius
prius renũciauerat,ad Cæſarem reuerſi,
dicunt nullum eo die equitem aut pedi-
tem ibi viſum eſſe, porrò autẽ in Hiſpa-
nos leuiores equites ſe incidiſſe, & ex ca
ptiuis aliquot,quos illi interceperãt, co
gnouiſſe, trãs Albin ad Miſniam caſtris
munitis Fædericum ſe continere. Qui-
bus cognitis Cæſar, quum decem dierũ
itinere cõtinuato, militibus reficiendis
vnius diei ſpacium interpoſuiſſet,decre
uiſſetq́ꝫ ad Miſniã pontes in flumine fa-
cere (nam eum qui ad oppidum erat,ho
ſtes reſciderãt) copiisq́ꝫ omnibus in vlte
riorem ripam traductis prælio cũ Saxo-
ne decertare, per exploratores repente
fit certior, illum iam caſtris motis, Vi-
tembergam iter conuertiſſe.

Vnum id ſæpenumero in Cæſare ob‑ſeruauimus, vt rationis & cõſilii ſui ſco‑pum rectiſsimè ſemper attigerit, nõ me‑mini tamẽ hoc pręſenti propoſito, aliud vllum ſecundius magiſq́ꝫ ex ſentẽtia ce‑cidiſſe. Siquidem ab his caſtris ad ea quę Saxone capto & exercitu pulſo in Albis fluuii ripa locauit, & quæ ſtatueret, ma‑gno ſemper animo aggreſſus eſt, & quæ aggrederetur, perpetua rerum felicitate conſequutus. His itaqꝫ renunciatis, ex tempore & loci peritia conſilium ini‑tum his rationibus explicat, ſi aduerſo flumine Miſniam contendat, vereri ne ſequundo interim flumine hoſtes eodẽ ferè tempore Vitembergam perueniãt, ſin ex eo quo cõſederat loco equitatum peditatumq́ꝫ tranſmittat, futurum ſpe‑rare, vt illos in itinere conſequatur. Ea dum cogitat, ab eius ripæ accolis cogno‑ſcit, tribus circiter miliaribus infra ca‑ſtra noſtra, duobus locis flumen vado tranſiri, altum tamen eſſe, rapidum & vorticoſum, nobiſq́ꝫ tam iniquum, vt hoſtes in aduerſa ripa diſpoſiti, noſtros impeditos & tranſire conantes, multitu‑

dine

dine telorum etiam ſine cõtentione re-
pellant. Interuenit Aldana, quẽ cum ex-
peditis aliquot Hiſpanis paulò ante Cæ
ſar ſpeculatum præmiſerat, dicit ea no-
cte Saxonem cũ exercitu in vlteriore ri-
pa tribus à caſtris noſtris miliaribus ad
Milburgum quieſcere, famam quidem
eſſe Albin eo loco vadari, equites tamẽ
è ſuis quatuor tranaſſe. Differendi præ-
lii cauſa diutius Cæſari viſa non eſt. Al-
banum protinus ad ſe vocat, conſilium
ſuũ proponit, velle ſe aut vado aut pon
tibus exercitum traducere, modiſq; om-
nibus manũ cum hoſte conſerere. Quo
propoſito confirmato, quæcunq; ad ex-
peditionem neceſſaria viderentur, im-
perat, contrà tamẽ ſentientibus multis
qui ſummã difficultatẽ & periculũ per-
penderent, ꝙ iter longum eſſet, ꝙ flumẽ
impeditũ, ꝙ hoſtes alterã ripam obſide-
rent, aliáq; nonnulla intercederent, quæ
ad eam rem neceſſarios conatus & celeri
tatem tardarẽt. At Cæſar nihilominus
id quod conſtituerat, facere conatur, im
pedimentiſq; omnibus, ſcaphis, carris &
æneis tormẽtis eo die ſub ſolis occaſum
præ-

præmiſsis, Hiſpanicũ peditatum de media nocte ſubſequi iubet, ſtatimq; egreſſus cum Germanorũ legionibus, vti conſueuerat, & equitatu, celeriter è conſpectu caſtrorum diſceſsit. Vbi luceſceret, nebularum denſiſsimæ tenebrę vſqueadeo diei lucem obnubilarunt, vt incertis viis acies oberrãtes, vix inuicem ſeſe conſpicarentur. Cæſarem eo tempore de aëris iniuria conqueſtũ memini, qui diceret, vicinis hoſtibus à caliginoſis nebulis perpetuò ſe infeſtari. Tandem verò ſerenior paulò dies, Albin flumen & diſpoſitos in ripa hoſtes detexit. Hic nimirum Albis eſt, Albis inquam ille, veteribus Romanis olim decãtatior, quàm viſu & aditu notior.

Fædericus occupata ripa, cum ſex veteranorum peditum, equitũ circiter millibus tribus, tormentisq; amplius viginti ad Milburgum conſederat, reliquas enim copias partim Thumſernus abduxerat, partim Cæſariani, vt ſupra monſtratum eſt, profligauerãt. His ille ſe munitum præſidiis continebat, de conſiliis noſtris coniectura ſic iudicãs, vt ſi ponte

qui

qui ad Miſniam erat refecto, Cęſar exercitum tranſportaret, ipſe meliore interim conditione vel aduentum noſtrum expectaret, vel ſi id facere nollet, expeditiore, in quamcunque partem vellet, itinere antecederet. Eo autē quo caſtra poſuerat loco, præ latitudine & altitudine difficile tranſitu flumen ſciebat, quum has quoq; difficultates, eminentioris ripæ quam obſederat præaltę crepidines, oppidumq́; proximum & arx, licet infirmior quàm vt illi ſalutem ſuam in oppugnatione ſuſtinenda committeret, maiorem in modum augerent. Interea metatores, qui primi venerant, opere dimenſo locum caſtris idoneum delegerant.

Eius hic ſitus erat, vt pratorum ſyluarumq́; magnitudine quæ è regione hoſtium ad fluuium ferè pertingebant, contegeretur. Cæſar ſub horā octauam matutinam eodē peruenit, equites eo quo venerāt ordine, in armis expeditos conſtituit, edixitq́; ne iniuſſu ſuo ab ordinibus diſcederent, ipſe cum Rege & equitibus paucis, Albanum qui cum ſpeculatoribus anteceſſerat, conſequutus, poſt-

quàm ex eo cognouit, hoſtium præſidiis ex aduerſo locatis, fluminis tranſeundi facultatem ademptã, communicato ni= hilominus cum illis conſilio (quòd rem tantã temerè ſuſcipi non oporteret) ac= colas vndiq; ad ſe conuocari iubet, per quos de repertis vadis certior paulò q̃ antea fieret. Ea dum ſedulò adminiſtran tur, interea Cæſar cum Rege & Mauri= cio, proximam domum ingreſſus cibum capit, ibique paulisper moratus dum ad exploranda hoſtium caſtra procedit, Al banus occurrit, ait lætum ſe illi nunciũ adferre, vadum inuentum eſſe quod ac= cola regionis eius peritiſsimus cõmon= ſtraſſet. Scherfmeſſero loco nomen erat, vnde Cæſar exierat, id latinè nouacula ſonat, non ita procul à vado: eò quũ ve= niſſet, animaduertit ad alteram fluminis ripam magnas eſſe copias hoſtiũ inſtru= ctas, crebraq; tormẽta diſpoſita, necubi effecto ponte aut vado reperto, copias Cæſar tranſmitteret, eumq; quem lintri bus & ſcaphis illi coniunxerant, quibus viribus & virtute poſſent, defenderent. hunc in tres partes reſciderant, quò mi=

nore

nore negotio, ſequundo flumine quum vſus eſſet, deueheretur. Vadum autem erat huiuſmodi. In qua ripa illi conſederant, multo quàm noſtra editior erat, in ſummitate agger eminebat, ad maceriæ ſpeciem ſtructus, quali ferè ruſtica prædia & humiliores caſæ circumuallari cõſuerunt. poſt hunc milites qui in ſtatione erant, tuti latebant, oppidum quoque Milburgum & arx, non parum ad loci defenſionem iuuabant. Noſtris contrà planicies magna erat, fluminis inundatione, quæ eò meabat, conciſa, vndique aperta porrectaq́ꝫ, præterquam vbi arbuſculis aliquot & dumetis, non adeò tamen ripæ vicinis, ſylueſceret. Fluuius ipſe qua parte vado tranſiri credebatur, trecẽtos in latitudinem paſſus patebat. Is etſi leniter fluere videretur, eo tamen impetu vndarumque mole rapiebatur, quæ vel ſpectantibus horrorem incuteret, tranſitumque per ſe difficilem, longè etiam periculoſiorem efficeret, vt non fruſtra ſanè Cæſar ad animi fortitudinem neceſſe habuerit induſtriam quoque & vires adiungere.

Cæſar

Cæſar loci natura perſpecta, iuſsit vt intra arbuſculas circiter mille velites Hiſpani cum tormentis aliquot diſponerentur, quibus diſploſis, illi quoque ſclopis emiſsis ſubitò prouolarēt. futurū enim ſperabat, vt metu globorum perterriti, de ſtationibus ſuis hoſtes deturbarētur, noſtri verò in citeriore ripa conſiſtendi facultatē adepti, propius ad aquam accederent. quanuis autem id in tam aperta planicie non ſine magno periculo fieret, temporis tamē & rei neceſsitati ſeruiendum Cæſar exiſtimauit, ne ipſe flumine impeditus liberum hoſtibus diſcedendi ſpacium daret.

At illi interea expeditorum militum præſidio in ſcaphis diſpoſito, ſecūdo flumine deferebantur. Qua re animaduerſa, noſtri, tanta alacritate è dumetis in apertam ripam procurrūt, vt in aquam concitatiſsimo impetu ruerent, brachiiſq; modò atque humeris ad arma ſuſtinenda eminētibus, tāta contētione & in eos qui ripā occupauerant, & qui naues conſcenderant, pilarum grandinem mittūt, vt compluribus exanimatis, reliqui

paulò

paulò poſt nauigatione prohibiti terrore trepidantes ſe ferè oẽs è ſcaphis proiicerent. Cæſar ipſe ſuis, dum procurrerẽt, aderat, ad ipſam vſq; aquam, eadem qua milites celeritate ſequutus. Acriter tum vtrinq; in alteram ripam eiaculatũ eſt, ingens miſsilium vis ab hoſte cõtorta, noſtri quanuis loco iniquo conſiſterent, eam tamen virtutem præſtiterunt, vt hoſtes priore contẽtione remiſſa, paulatim viderentur langueſcere. Poſtquã id Cæſar animaduerterat, Arzium tribunum (is ex Inſubribus Hiſpanos adduxerat) vt arctius inſtantiusq; hoſtes reprimerentur, cum ſclopetariis mille ſummiſit. Horum aduẽtu tãtum pugnæ ſtudium exarſit, vt cùm ſcaphis relictis præcipites ſe illi fugæ mandarent, ludicras & feſtiuas tormẽtorum emiſſiones dixiſſes, quales in ſolenni Principum ingreſſu læto populi applauſu fieri cõſuerunt. Nauiculis aliquot ignem illi iniecerãt, hę flamma cõprehenſa combuſtæ ſunt. Nõnulli etiam glandium noſtrarũ nubẽ & periculum veriti, cùm attollere ſe nõ auderent, in ſcaphis quas non incẽ

derant, exporrecti diſtentiq́ue iacebant.

Interim ponte quē Cæſar faciendum curauerat, ad ripam admoto, quòd pro fluminis latitudine cōtabulationi nauigia non ſufficerent, ab hoſtibus quæ deeſſe viderentur, neceſſariò petenda erant. Ii animo & viribus inferiores, quàm vt continuam noſtrorū eiaculationem ſuſtinere poſſent, ripas iam dimittere cœperāt, compluribus tamen è ſuis ad ſtationes relictis, qui in milites noſtros tela continenter coniicerent. Sed quòd virtuti nihil eſt inuium, Albis quoque difficultates fortiter à Cæſare ſuperatæ ſunt.

* Is itaque neceſſario ſibi hoſtiū pontem capiendum iudicās, milites cohortatu vt nihil ad ſtudium & induſtriā ſibi reliqui faciāt. Ibi ex Hiſpanico peditatu decem, rem incredibilem auſi, veſtibus celeriter depoſitis, gladiiſq́ue mordicus per os tranſuerſis, flumen nando traiiciunt, & ad ſcaphas appulſi, quas ſecundo flumine deuectas à reliqua parte pontis hoſtes conuulſerant, innumeris telis omni ex parte petiti, interfectis quos deprehēderāt, nauigiiſq́ue ad citeriorē ripam pertractis,

tractis, nudi & incolumes ad ſuos reuerſi ſunt. Tres quoq; equites Hiſpani ſtudio & gloriæ cupiditate adducti, aquam ingreſſi, vnum vi fluminis abreptũ amittunt. Nauigiis captis noſtri liberius in ripa vagati, planiciẽ omnem armatis cõpleuerãt, hoſtes cõtra grauiter ea re permoti, animum prorſus deſponderant.

Dum hæc gerũtur, Albanus ad Cæſarẽ reuerſus, quæ prius de vado dixiſſet, vera eſſe affirmat. Cæſar autẽ iiſdem de cauſis, quæ ſupra ſunt demonſtratæ, omnino decreuerat copiis Albin traductis, acie cũ Fæderico certare. Is quo tẽpore ad ripam noſtri primò venere, pro Lutheranico inſtituto, concioni intererat. At nõ arbitror accepto de Cæſaris aduẽtu nuncio, multũ tẽporis eccleſiaſtæ tributum, quãdoquidem protinus ad arma cõclamari, militesq; ad ripã & pontẽ cõcurrere, quęq; ad defenſionẽ opus eſſent, expediri iuſſerit, infirmas profecto vires & impares, quæ vel Imperatoris vel militũ, qui in ipſum ducebãtur, virtuti reſiſterẽt. Eò iam perducta res erat, vt hoſtibus à ripa remotis ac de vallo deductis,

ſtationes defenſoribus vacuæ conſpice rētur. Tum Cæſar incredibili celeritate equites vadum tentare iubet, pontemq́; ex noſtris & hoſtiū ſcaphis coniungere, quo confeſtim Hiſpani pedites omnes, ac mox Germanorū tres legiones tradu cerentur. Albanus, vt vadū reperiretur, magna diligētia vſus, accolas vndiq; cō- quiſierat, naturæ fluminis ſcientiſsimos è quibus vnus vegeto ac valenti corpo- re iuuenis ruſticus, cuius equos biiuges pridie eius diei per vim hoſtes abduxe- rant, vindictæ cupiditate accēſus, vltro ſe vadi ducē profeſſus, ego hos latrones, inquit, vlciſcar probè, ſi id effecero vt ad vnū hodie oēs iugulentur. Animum celſiore fortuna dignū præ ſe ferebat. ſi quidem prędę quā abegerāt immemor, ſolam vindictam opinione præceperat.

Equitatus noſter iam vniuerſus ad ri- pam cōuenerat, quo viſo Cęſar ſingulis Germanorū legionibus ternas cohortes detraxit, & caſtris pręſidio reliquit, addi tis quingētis grauis armaturæ equitib⁹, partim ex Ioānis Brādenburgii turmis, partim ex Alberti, quarum reliquias ca-

pto

vacuæ conſpic
edibili celeritat
iubet,pontemq
phis coniungere,
i pedites omnes,
es legiones tradu
vadũ reperiretur,
ccolas vndiq; cõ
inis ſcientiſsimos
ac valenti corpo
ius equos biiugi
m hoſtes abduxe
ate accéſus, vltro
,ego hos latrones,
pè, ſi id effecero v
lentur. Animun
ũ præ ſe ferebat
egerãt immemor
ione præceperat
m vniuerſus adr
iſo Ceſar ſinguli
us ternas cohorte
ſidio reliquit,add
rmaturæ equitib
denburgii turmi
arum reliquia: c
po

# CAROLI V. CAES. POST

cum Ioan. Fæderico conflictus.




MILBVRGVM


CÆSAR
ALBAN’
DVX SAX’

pto duce ad Regem ſe ex fuga recepiſſe mõſtrauimus. Ipſe militari more exercitũ cohortatus, expoſcẽtibus militib⁹ & ſtudio pugnę ardentib⁹, Hũgarico equitatui ſignũ traiiciẽdi dedit: ex quo equitatu & eo quẽ leuiorem Cæſar conduxerat, prius multò q̃ hoſtes Milburgo excederent, pleriq; viribus cõfiſi in alterã ripã euaſerãt, hoſtiumq́; impreſsiones aliquot fortiter ſuſtinuerãt, ad quã rem ſingularis militũ noſtrorũ virtus permultũ adiuuerat, hi humeris tantũmodo & pectore extãtes ea dexteritate in aduerſarium glãdes mittebãt, vt nõ minus tutò equites noſtri in aduerſa q̃ in citeriore ripa conſiſterẽt. At hoſtes fluminis tuẽdi deſperatione impulſi, ſi tẽporis anguſtia & celeritate noſtrorũ circunuẽti Vitemberga intercluderẽtur, vel Torgam iter accelerare conſtituunt, vel ſi id cõſequi nõ poſſent, in itinere pugnã conſerere.

Albanus, quẽadmodum Cæſar prius imperauerat, Hũgaros omnes & Lanoiũ cũ leuis armaturę equitibus in vado trãſcundo præcedere iubet, ſinguliſq́; ſingulos milites manuariis tormentis inſtru-

ctos poſt tergũ ſeſſores attribuit. Ipſe cõtinuò cũ equitatu Neapolitano & Mauricii turmis, quibus priorẽ aciem demãdarat, ſubſequitur. Proximi Cæſar & Rex Ferdinandus cũ ſuo vterq; agmine ad aquã conſtiterant. Cæſarẽ equus Hiſpanus vehebat, coccino ſerico villoſo, cui ex auro fimbria erat, inſtratus. Hunc ei Ioachimus Rius, decurio cubiculariorum ex aurei velleris ſodalitio, vir illuſtris, dono dederat. Ipſe armis inauratis conſpicuus, nullo paludamento, ſed cõchyliata duntaxat faſcia bõbycina auro diſtincta, ꝙ illi inſigne erat, ſuperindutus, caſſide Germanica capiti adaptata, breuẽ haſtam venabulo ſimilem manu tenebat. C. Cæſar dictator, olim ad Rubiconem fluuiũ, qui prouinciȩ eius finis erat, dum reputans quantum moliretur paululum conſiſteret, traiecto mox exercitu memorabilem illam vocem edidit: Omnis iacta ſit alea. Nihil profecto poterat oculis omniũ quotquot adeſſemus repræſentari ſimilius. Carolum Cæſarẽ armatũ, cum exercitu armato in medio flumine pertẽdentem ad alteram ripam,

ſumma

ſumma omnium admiratione conſpexi mus. In quã dum euaderet omnia armis agenda erãt,& in vna victoria ſpes ſalu= tis conſtituẽda. Hoc igitur animo Cęſar ruſticum, quem diximus, ducem ſequu= tus, paulò ſupra eum locũ q̃ cęteri equi= tes trãſiiſſent, Albi ſeſe cõmiſit. vadum erat arenoſum & pro rei neceſsitate o= portunũ, ſic tamẽ vt altitudine aquarũ, & rapiditate fluminis, pleriſq; locis, exi= guo tamen ſpacio, tranſeuntibus natan= dũ eſſet. ſeſſores verò, quantũuis eximię magnitudinis equis inſiderẽt, paſsim ta= men ad poplites aqua trecẽtos paſſus la= ta pertingeret. Has difficultates dũ ſtu= dio Cæſar & virtute vincit, in vlteriorẽ ripam incolumem equitatum traducit. Ruſticum aureis coronatis centum, & equis duobus donatum dimittit.

Interim è ſcaphis hoſti ereptis, iiſq; quas onerariis plauſtris Cęſar conuexe= rat, pons inſtitui cœptus eſt, quo profe= cto Hiſpanorũ primo, deinde Germano rũ pedeſtres copiæ, vt erat præceptum, tranſportarentur. Hungari & equites leuis armaturæ, depoſitis, quos ponè

tranſuexerant militibus,hoſtes nouiſsi-
mos inſequuti leuioribus pręliis diſtine
bāt. At Fædericus nullo ad Milburgum
præſidio relicto (cuius tamen rei ſuſpi-
tione Cæſar adductus, in vado tranſeū-
do ſingulis equis binos ſeſſores imponē
dos curauerat) pedeſtribus copiis bipar
tito diuiſis, equitatu verò omni in tur-
mas nouem diſtributo,itinere nō inter-
miſſo,vnū cōmunis ſalutis auxiliū in ce
leritate ponebat, ſi qua in parte ſuos la-
borare aut grauius ab Hungaris & leui
equitatu noſtro premi videret, eo ſigna
inferri,& equites conuerti iubebat,quæ
res & noſtros ad inſequēdum tardabat,
& illis liberiorē progrediendi facultatē
præbebat. Cęſar quicquid cataphracto-
rū celeritate proficere poſſet, eodē quo
hoſtes itinere ſubſequutus,incidit in ſta
tuam Chriſti ad crucem affixi,cuius pe-
ctus bombardica glande traiectum erat.
Horrendū viſu ſpectaculum Cæſar exe
cratus,ferre nō potuit,quin publicè quo
que tā nefariū ſcelus deteſtaretur,& cœ
lum ſuſpiciēs in hanc vocē erumperet:
Domine, ſi velis, facile potes iniuriam

tantam

tantã vlciſci. hæc loquutus iter inceptũ proſequitur. Quumque in aperta lataq́; planicie præcedentiũ puluis vento concitatus proſpectũ nobis adimeret, agmẽ Cæſar obliquius paulò ad dexteram deflectere iubet, ea ſcilicet re duo cõmoda conſecutus, vt & puluere vitato neceſſariis rebus rectius expeditiusq́; proſpiceret, & periculum effugeret quod noſtris temporibus non ſemel accidiſſe cõperimus, dum in procedendo quẽ rei militaris ratio poſtulat, acies ordinem nõ obſeruant, ſiquidẽ ipſo experimẽto edocti ſumus, à prima acie pulſa, & in fugã conuerſa, ſecundã quoq; turbatis ordinibus diſiici, non alia de cauſa, q̃ quòd, eo quo conuenerat ordine & loco, nõ conſtituatur. Huic itaq; periculo Cęſar occurrẽs, & ſuum & Regis agmen ita diſponit, vt ſi quid durius accidat, ipſe in prima acie laborantibus continuo ſubueniat, hoſtiumq́; impreſsionẽ & vires infringat, quorum tanta firmitudo erat, vt harum rerum à Cæſare nihil fruſtra factũ fuiſſe videri poſsit.

Albanus qui cũ priore acie ad nouiſsi

mum eorum agmen demorandum anteceſſerat, adeò illis imminebat, vt vehementius peragitati ab equitatu ſubſiſterent, & magno impetu tormenta ſimul omnia in noſtros emitterent. Germani enim, vt ſuperiore libro monſtrauimus, huiꝰ rei peritiſsimi ſemper ſunt habiti. Properat Cęſar vt ſe cũ Albano coniungat. Legiones noſtræ cum tormẽtis campeſtribus ſex, magnũ ſpacium aberant, nec conſpiciebantur quidẽ, id quod nemini mirum videri debeat, quũ tanta diligentia pons effici non poterat, vt milites traducti eueſtigio ſubſequerentur. Quod vbi Cæſar animaduertit, tria iam vltra Albin miliaria incredibili celeritate cum equitatu progreſſus, equeſtri prælio Saxonem fundere & edomare conſtituit. Quod ſi legionum aduentũ diutius expectaſſet, temporis mora ſine dubio propoſitũ interpellatum fuiſſet. Vnde quantũ in rebus magnis obfirmata conſilia valeant, cognoſci potuit.

Equitatum omnẽ in duplicem aciem Cæſar diſtribuerat. In priore acie bellatorum numerus hic erat. Equites leuioris

ris armaturæ quadringenti, quos Lanoi
us & Antonius à Toleto ducebant. Hun
gari quadringenti quinquaginta, reli-
quos eo die mane, qui Torgæ ſitum per-
ſpicerent, Cæſar dimiſerat. Centum ex-
pediti equites Hiſpani ſclopis inſtructi,
ducenti eiuſdem armaturæ Mauriciani,
& haſtati ſexcēti, ſub Mauricii quoque
imperio. Ducenti ſupra viginti grauis
armaturæ Neapolitani, quibus Caſtro-
nilarus præerat. Secundam aciem Cæ-
ſar ipſe cum Rege duplici agmine inſtru
ctam tenebat, alterū quod Cæſaris erat,
quadringentis cataphractis Germanis,
trecentis hipposclopiſtis conſtabat. Pa-
rem his numerum Regis agmē habebat,
illis verò, ducentis ſuperiorem. Is erat
totius exercitus noſtri equitatus, in quo
recenſendo, neq; additum hic eſt quic-
quam, neque detractum. Aciem Cæſar
non ea qua Germani ratione inſtruxe-
rat. Illi enim equeſtris agminis frontem
quàm latera multo anguſtiorem conſti-
tuūt. Cæſar verò in qualibet acie ſepte-
nos denos in latitudinem ordines inſti-
tuerat, quæ ratio & frontem latiorem &
aſpe-

aſpectu pulchriorem, maioremq́ quàm pro numero multitudinem repræſentabat. Hanc ego certe & optimã iudicarẽ, & cũ loci natura ferret, longe tutiſsimã. Nam & hoc modo minus facile à cornibus aut aperto latere acies circumueniri poteſt, & ſepteni deni ordines ad equitum vim vel inferendã vel ſuſtinendã, ſatis conferta denſitate agmen corroborant. Quæ opinio, equeſtris prȩlii exemplo probata eſt, quo Cleuenſes retro aliquot annis â Flandrico equitatu ad Zittardum oppidũ fuſi terga verterunt.

Hoſtes eo quo mõſtratum eſt ordine, & militũ numero continẽter ierunt. Fȩdericus Imperatorio vexillo cognitus (quo inſigni in bello hodie vti conſuerunt) equitum circiter nonaginta præſidio, neceſſariis rebus prouidendis ordines obequitabat. Is primũ puluere, qui ortus erat, impeditus, cum ſolas prioris aciei copias conſpicaretur, neq; Cæſarẽ cũ reliquo equitatu inſequutum eſſe putaret, ad ſuperiorem itineris cõficiundi ſpem addita prȩſentis temporis opinione, facile ſe parem fore credebat, vt eas

quas conſpexiſſet copias pelleret. At Vuolfangus Crucius in exercitu eius Epiſtathmus, qui diligentius rem omnẽ perſpexerat, dicit loco pauliſper recedat, & proximè ſubſequentia ſigna quæ in ſe inferrẽtur reſpiciat. Ille admonitus aciem ſecundã quã Cæſar cũ Ferdinando regebat, cognoſcit. In ea quoque Filibertus Allobrox erat proxime Cæſarẽ adequitãs. Regiũ agmẽ filii duo, iã rebus gerendis maturi præcedebant.

Fęderičus equitatum noſtrum clarè conſpicatus ex aciei & itineris ordine, Cæſaris inſtitutum coniiciens, ſuorum ſe agminibus immiſcuit, hoc ſperans vt ſyluis proximis occupatis eo ibi die pedeſtrium copiarum præſidio tutus, inſequenti nocte ſe Vitembergam proriperet, conſilio adeundæ Torgæ idcirco depoſito, quod crebras tormentorũ diſploſiones, quæ in ſpeculatores noſtros contorquebantur, eo ipſo die ſe exaudiſſe diceret, cuius rei opinione ita eſſe deceptum, vt Albanum cum parte copiarum, qui ſe perſequeretur, miſſum crederet, & Cæſarem cum reliqua manu ad

Tor-

Torgam oppugnandam acceleraſſe. Si- bi verò quod eius oppidi munitioni q̃- uis Albi allueretur, diffideret, viſum nõ fuiſſe vt vltro in obſidionis periculum coniectus, ſalutem ſuã in diſcrimen ad- duceret. At ſiue his rationib⁹ permoue- retur, ſiue vt pleriq; exiſtimãt, quod ipſe ſui immemor, omnium opera quoq; & conſilio tam neceſſario tẽpore deſtitue- retur, Torga prætermiſſa, celeritati ſtu- debat, vt proximis ſyluis exercitũ tege- ret, quarũ præſidio, ſi pugnandũ eſſet ad ſalutẽ ſuam tutius vteretur, vel ſumma exercitus ſalua, maturè ſe Vitembergã reciperet. Sylua erat paludibus multis & anguſtiis viarum impeditiſsima, qua- rum rerum commodis inuitatus, quo fa cilius conata perficeret, expeditos pedi- tes & hippoſclopiſtas magno impetu ſi- gna in leuiores equites noſtros inferre, & manuaria tormenta emittere iubet. Id quod induſtriè & fortiter ab illis prę- ſtitum eſt.

Eodem tempore Cæſar prius ſuorum agmen conſequutus, Mauricium libera- liter appellat, inde ad Neapolitanos ca-

taphractos adequitâs, eoſq; ad prælium ea oratione cohortatus,quam in tali occaſione animis militum excitandis conuenire ſciebat,Diuo Georgio,Imperio: Iacobo, Hiſpania teſſera data, alacriter ad hoſtem contendit. Agmini porrò in hunc modum adæquatis inter ſe ordinibus progreſſo, tale incommodum accidit. Ad dexterum ſecundæ aciei latus, in itinere riuus & magna palus obiecta erat,cuius vligine & altiore cœno equi hæſitantes & ſe & ſeſſores pręcipitabât. Quo animaduerſo Cæſar ne totum agmen impeditum hæreret, edixit vt acies ſecunda ſe paulisper contraheret, dum prior neque turbatis neque permixtis cum altera ordinibus,expedita trâſiret. Atque ita factû eſt,vt quæ alteri in proficiſcendo latus clauſerat, ea, dum hoſtes (vt dictum eſt) leuem equitatum noſtrum inuaderent, aliquantulum antecederet.

Albanus rei bene gerendæ occaſionẽ adeptus, Cæſari indicat iam ſe in hoſtes irruere, quo dicto ipſe à qua parte conſtiterat, cum Neapolitanis cataphractis

procurrit. Mauricius quoque ab altero cornu ſigno dato cum hippoſclopiſtis acriter impetum facit, eum cōtinuò haſtati omnes ſequuntur. Eodem tempore ſecunda acies noſtra dextrum cornu rurſus aſſequuta, infeſtis ſignis tanta vi in hoſtes irrumpit, vt eorum nemo conſiſteret, omnesq́ conuerſi non ſolum loco excederēt, ſed protinus incitati fuga, peditatum præſidio deſtitutum prædæ & cædi obiicerent, Is primo Cæſarianorum impetum vtcunque ſuſtinuit, ſyluarum propinquitate confiſus, ſed equitatus noſter, ita ſe confertus immiſcuit, vt temporis momento perturbatis ordinibus, vniuerſus hoſtium exercitus pelleretur. Hungari & leuis armaturæ equites à latere aperto aggreſsi, ſtrenuè rem gerunt, pulſosq́ hoſtes ac territos incredibili celeritate inſequuti, magnam fugientium multitudinem concidunt.
Hungari enim id in bello palmarium obtinent, vt hoſtem in fugam conuerſum maiori quam cæteræ nationes cupiditate & arte perſequantur. Ii, dum procurrerent, Hiſpaniam teſſeram proclamarunt,

marunt, quod Imperii nomen veteris odii ſtirpe radicitus nondũ euulſa, gẽtis illius auribus non multum applaudat.

Hoc modo dum pugnaretur, ad ſyluam peruentum eſt. Ea paſsim erat tanta armorũ multitudine conſtrata, vt noſtros ad inſequendũ tardiores efficeret. Occiſorum ſauciorumq; numerus magnus erat, quorum alii cõtis traiecti, alii cæſim ferro petiti, miſsilibus alii exanimati conciderant. Ita vt mortem quidẽ vnam, ſed cruciatibus variam omnes occumberent. Medio campi cadauera vt fugerant, vt reſtiterant, diſiecta vel aggerata iacebant. Deditiorum autem tanta multitudo fuit, vt pleroſque milites noſtros viceni & amplius captiui circunſiſterent. Cæſar ipſe ad millia paſſuũ quatuor, equites verò leuiores, cataphracti Neapolitani, & ex Germanis non pauci, duodecim circiter paſſuum millia conſectati ſunt. Ac tantũ fuit in equitibus ſtudii, vt prælio ſecũdo & victoriæ fiducia elati, in omnes partes diſsiparentur, neq; magis iam victores noſtri q̃ victi hoſtes, rationem vllam aut ordinẽ militarẽ ſeruarent.

uarent. Quorum cupiditate Cæſar per-motus, inſequentes equites ne longius proſequerentur, quos poteſt, reuocat, & in media circiter ſylua ad ſigna conſti-tuit, hóc nimirũ cõſilio victoriã confir-mans, vt ii qui anteceſſerant, ſi quid præ-ter opinionẽ accideret, tutiore ſibi re-ceptu conſulerent. Debet enim Impera-tor diligentiſsimè ſingula perpendere, & vocem illam quouis tempore turpem dictu vitare, Non putabam.

Ferdinandus quoq; Rex in cõflictu & rebus omnibus animũ altum vereq; Re-giũ geſsit. Is in ſylua Cæſarẽ cum inſtru-ctis copiis cõſpicatus, prope eum conſi-ſtit. Albanus item longius ad inſequen-dos hoſtes progreſſus eodẽ reuertitur. Arma huic albicãtia erant, cælaturis in-auratis variata, puniceũ inſigne ſericũ, ſpadix equus, non aliis phaleris quàm cruore qui vulneribus emanabat, orna-tus. Cæſar, dũ ea qua par erat animi vo-luptate Albanum excipit, ecce de capto Saxone nuncius lætus affertur. Magna poſtmodũ hac de re cõtrouerſia orta eſt, cõpluribus eam ſibi gloriã attribuenti-

bus. Contēdentiū autē principes erant,
ex turmis Neapolitanis cataphracti Hiſ
pani duo, leuis armaturæ Itali & Hiſpa-
ni circiter quatuor, Hungarus vnus, &
Soleſius Hiſpanus ordinum ductor. Fæ-
dericus in equo Friſio vt erat armatus,
ſupra ferreā tunicā thorace nigro poſt
tergum loris reuincto, ſiniſtra mala vul-
nere honeſto fœdata per Albanū ad Cæ
ſarem perductus, ex equo deſcendere, &
honoris cauſâ dextræ chirothecā detra-
here officioſe contēdit. At Cæſar quod
vulnere & corpore grauem, vires eū ſiti
quoq; ęſtu & laſſitudine deficerēt, magis
lenitate ſua q̃ merito eius neutrū permi
ſit. Ille cōtinuò capite detecto Cæſarem
honorifica Germanorū cōſuetudine ap
pellans, Ego, inquit, potentiſsime & cle-
mentiſsime Cæſar, me tibi captiuū ſta-
tuo. Ad ea Cęſar, Nunc iſta me voce nō
minas, ait, prius nō ita ſolitus. Fędericus
enim & Lātgrauius quo tēpore fœdera-
torū bellū gerebāt, Cæſaris appellatio-
ne per ludibriū ſuppreſſa, in literis tabu
liſq; publicis Carolū à Gandauo ſcribe-
bāt, & qui falſò ſe Imperatorē iactaret.

Hæc vbi Germani milites noſtri audi-
rent, ſalſe in illos conuitio retorto, dice-
re conſuerunt: Sinite Carolum Ganda-
uenſem agere, ille vos docebit an Impe-
rator ſit. Ea de cauſa Fæderico Cęſar ita
vt dictum eſt reſpondit, addiditq́; opti-
mo merito ſuo, ad eiuſmodi fortunã ip-
ſum eſſe redactũ. Quo audito Saxo ſub-
ticuit, humerisq́; preſsis, & capite demiſ-
ſo terram intuens gemitum edidit, vul-
tu ſanè miſerabili, ſi quis modò barbarũ
tantum, tam ſuperbo quo turſerat ſpiri-
tu, dignum cenſuiſſet cuius calamitatẽ
commiſereſceret. Fædericus Cæſarem
rurſus interpellans, orat vt pro fortuna
viri principis à Cæſare capti tractetur.
Tum Cæſar, Ego te vt mereris inquit,
tractabo. Atque hæc loquutus, Albano
negotiũ dat, vt frequenti cuſtodia ad Al
bin in caſtra ducatur. Publica & cõmu-
nis omnium fuit è parta victoria cõgra-
tulatio. Nam & in præſentia manifeſtũ
erat quantum ad ſummã rerum momen
tum adferret, & indies quoque maior ex
ea fructus percipiebatur. Eo die Mauri-
cium fugiẽtes hoſtiũ equites perſequen

tem , vnus ex iis à tergo adortus ſclopū
dorſo admouit. Sed quod ignis non emi
caret , conatus irritus cecidit , is caſus
Mauricium ſeruauit. Hoſtis ille rem tan
tam temere aggreſſus, à Mauricianis cō-
feſtim diſcerpitur.

Ex hoſtium peditatu millia duo ceci-
diſſe videbātur, vulnerati verò complu-
res , quos diſcedendi ſpaciū nactos nox
intermiſſa incolumes ad ſalutem perdu-
xit. Poſtridie circiter octingēti in dedi-
tionem venerūt. Equites, quantū inqui-
rendo inuenire potui, amplius quingen
ti occiſi ſunt. Captorū longe maximus
numerus fuit. Multi inter noſtros deli-
tuerunt, vt ex magno Germanorū equi-
tum numero, nōnullos Germanos, Ger-
manis fauere natura cogebat, Multitu-
dinem autē eorum quos conſtat in Hun
garici & reliqui equitatus poteſtatē ve-
niſſe, paucitas eorū qui ex prælio ſuper-
fuerunt demonſtrat, quum pedites equi
tesq; non amplius quadringenti, vt fer-
tur, Vitembergam perfugerint. Capta
ſunt quoq; tormenta quindecim, & ma-
gnus bellicarum rerum apparatus, ænea

longiora duo, quos colubros vulgo nominant, mediæ magnitudinis quatuor, muralia breuiora totidē, & quinq; minora campeſtria. Poſtridie alia ſex in itinere intercipiuntur, ea, quod incitatiore curſu hoſtes auehenda curaſſent, in proximo oppidulo depoſita fuerant. Impedimentis itē omnibus & carris noſtri potiti ſunt, in quorum direptione, maxima omnis generis præda inuenta eſt. Signa legionaria ſeptemdecim, nouem equeſtria cū imperatorio Fęderici vexillo ad Cæſarem referuntur. Inter captiuos nobiles, Erneſtus fuit è Brantſuicenſi familia clarus, cuius ductu leuiora prelia omnia ſuperiore bello facta oſtendimus. Fęderici filius natu maximus dextera & capite ſaucius equo in pugna deiectus eſt, celeriterq; à ſuis in ephippium rurſus impoſitus, aduerſario qui vulnera intulerat, vt ipſe poſtea retulit, glāde percuſſo Vitembergā contēdit. In eo prelio equites nō amplius quinquaginta à Cæſare deſiderati ſunt, adnumeratis iis qui ex vulneribus poſtea deceſſerunt.

Hanc victoriam ad octauum Calen-

das Maias, pridie diui Marci Euangeliſtæ, duodecimo q̃ Ægra diſceſſerat die, Cæſar adeptus eſt, anno redempti orbis ſupra ſeſquimilleſimũ quadrageſimoſeptimo. Ab hora vndecima qua pręlium ad Albin primo inciperetur, ad veſperũ horas continuas nouem eo quo ſupra monſtrauimus ordine pugnatum eſt. Vt non ne quicquã Cęſaris admiranda virtus iudicari debeat, qui vado per vim expugnato auſus ſit tranſire latiſsimũ altiſsimumq́; flumen, ſubire iniquiſsimũ locũ, tria miliaria pręlio non intermiſſo inſtanter inſequi, deniq; ſolo equitatu, non tormentorũ, non legionum præſidio ad internitionẽ ferè exercitu deleto, viuum ipſum Saxonem capere, quæ facilia ſanè ex difficillimis animi magnitudo redegerat, vt non immerito de Carolo Cæſare dici poſsit quod olim Scipioni Æmiliano ex Homerica Odyſſæa Plutarchus attribuit,

*Ille ſapit ſolus, uolitant alii uelut umbræ.*

His rebus feliciſsime geſtis, quod tantę victorię beneficiũ Cæſar vni Deo acceptũ ferret, triũ verborũ titulum quẽ

olim Pōtico triumpho inter pompæ fercula C. Iulius dictator prætulit, ipſe gratitudinis & pietatis ergo, ita pronunciauit: Veni, Vidi, Deus vicit.

Animi verò moderatio qua in Saxonem captum Cæſar vſus eſt, magno omnibus miraculo fuit. Quum enim nō minoris difficultatis aliquādo ſit irā vincere q̄ hoſtem, bonam profectò felicitatis ſuę partē optima ratione Fædericus æſtimet, quòd in modeſtiſsimi victoris manus inciderit, cuius manſuetudinē alius fortaſsis minus etiam grauiter offenſus non imitetur. Cæſar licet totius diei cōtinenti labore fatigatus, equitibus tamē vndique ad ſigna conuenire iuſsis, tertia circiter vigilia in caſtra reuertit. Eo qui inſequutus eſt die, tormenta omnia in prælio capta, apparatum omnem & arma in vnum locū coēgit. Hungari quoque, & leuis armaturæ equites prædandi ſtudio longius euocati (tribus enim vltra eum locum vbi Cæſar conſtiterat miliaribus progreſsi fuerant) magno captiuorum numero, multiſq; ſpoliis onuſti ad ſuos reuerſi ſunt. Alfonſo Viui cu

ius ſupra mentionem fecimus, Saxonis & Erneſti ab Albano cuſtodia demandatur. Is Erneſtus ab equite Germano Ferdinādi Regis cliente, ſed in Mauricii familiam adſcito, captus eſt.

Cæſar interim biduo ibi moratus Torga in deditionem accepta, ad Vitembergam Saxoniæ metropolin occupandam cum omnibus copiis ire cōtendit. Id oppidum, quod inter electoria municipia opib⁹ & auctoritate ſumma floreret, Fędericus continuos vigintiquinq; annos magnis operibus & impēſis, innumeraq́; tormentorum multitudine diligentiſsimè cōmunierat. Iter erat per Torgam, ad eam arx eſt ſupra cæteras Germaniæ omnes ædificii ſtructura magnifica. Huc ſe Fædericus animi laxandi gratia recipere ſolitus erat. In eo itinere ex captiuis cognitum eſt, Thumſernum cum ea militum manu quam in Boëmiam abduxiſſet, cohortibusq́; viginti & magno equitum numero, quæ auxilia regni illius coniurati miſſuros ex pacto promiſerant, à Fæderico expectari. At Cæſaris inopinata celeritas quæ ad huiuſmodi

magis quàm ad alia negotia conficienda prorſus illi innata videtur, hoſtium vires auxiliorumq́ꝫ pactiones omnes præueniendo refregit.

Duobus circiter paſſuum milibus infra Vitembergam, pōte ex noſtris & hoſtium ſcaphis Albin iunctum copias Cęſar traduxit. Id planè inter omnes ferè conſtitit, quod ſcitu dignum non volui obliuione inuoluere. Qua parte flumen vado, etſi altiore, traiectum eſt, poſtridie eius diei niſi tranando ac difficulter id effici non potuiſſe. Ea eſt enim diuina virtus, & erga genus humanum benignitas, vt quę per ſe ardua ſunt, ſi tamen ad pietatem colendam pertinere videntur, emolliat. Duo præterea eodem tempore acciderunt, quæ quod ab omnibus obſeruarentur non prætermittam. Supra Hiſpanorum peditum verticem inter proficiſcēdum aquila diu volitauit, & lupus prodigioſę ferè magnitudinis è proxima ſylua in campum procurrens, frequenti militum concurſu dilaniatus eſt. Hæc ſiue caſu, ſiue cœleſti prouidentia & conſilio, victoriæ lętitiam portenderent,

derent, multi certè in omen felicis euentus verterunt.

Huius diei æſtus nobis longè grauiſsimus fuit, Fæderico etiam futura clades euidenti prodigio denuntiata eſt. Sol enim velut ſanguinolentus apparuit, &, quod mirabilius eſt, perinde ac ſi curſum tardaſſet, ſpaciumq́; diei addidiſſet, quum intẽtius intueremur, altior, quàm pro horarum ratione, ferri viſus eſt. Conſtans omnium hac de re opinio eſt, nec ego certè refellere auſim. Hoc idem (ſolis cruẽtam faciem dico) repetitis atque enumeratis diebus, quo die præliũ ſecundum Cæſar feciſſet, Norimbergæ, & in agro Taurino, & in Gallia (quemadmodum Rex ipſe poſtea retulit) animaduerſum eſt. Quę ſimul omnia, quod notiſsima ſint, merito debeant ab obliuionis iniuria vindicari.

Copiis

VITEMBERGA AD ALBIN, SAXONIÆ METROPOLIS.



Copiis Cæſar Albin traductis circa Vitembergam loco ſylueſtri caſtrametatus eſt. Id oppidum natura loci & operibus egregiè munitū eſt, in magna planicie ſitum, in quā ex muris vndiq; longinquus proſpectus eſt, adeoq́; apertus, vt nullus circumquaq; occultandis hominibus, inſidiiſve ſtruendis locus ſit. Quadrangulum ferè eſt, ſed in longum magis quàm in latum protenſum. Qua parte longiſsimum eſt, quadringentorū circiter paſſuum à muris intermiſſo ſpacio Albis præterfluit. Magnæ latitudinis profunditatisq́; foſſa aquæ plena, & aggere lato pedes ſexaginta cingitur. Is agger à ſummo faſtigio ad imam vſq; foſſam, graminibus vepribusq́; veſtitus eſt, cuius infimas radices murus paulò humilior ex laterculo & calce circūdat, hæc munitio ſic inſtituta eſt, vt manuariis tormentis inſtructi milites poſt eam lateant, lociq́; humilitate & foſſa contecti, quauis etiam hoſtium cingente corona, tormentorum ictus euitent. Validiſſimis præterea propugnaculis quinque oportuno inter ſe ſpacio diſsitis oppi-

dum

dum circummunitur. Arx quoque ipſa eiuſmodi propugnaculi vicem explet, vnde in circumiectam planiciem longè latéq; proſpicitur. Ab hac parte, quod oppidi latitudo maximè in anguſtiam contracta ſit, Cæſar oppugnare decreuerat, ad quam rem foſſores vallares accerſeretur, quos ad quindecim millia Mauricius confecturum promiſerat. Tormenta item muralia Dreſſo deueherentur, quorum ibi tantus numerus erat, vt, quæ ad loci defenſionem ſatis eſſe viderentur, relictis, Vitembergæ quoq; oppugnandæ magna abundè copia ſupereſſet. Tam magnifica verò pollicitatio hunc poſtea exitum habuit, vt ænea tormenta quidem cõportarentur, ſed quindecim foſſorum millia pollicitus non amplius trecẽtos ægrè etiã ac difficulter (vt Mauricius ipſe dicebat) adduxerit.

At Cæſar Ioachimi Brandenburgii precibus auditis (is enim quibus poſſet conditionibus Fæderico veniam & ſalutem petebat) ſatis ſibi cauſæ arbitratus eſt, quur eadem re à Gulielmo Cliuenſium principe, Ferdinandi Regis

gis

gis genero, cuius ſororem Fædericus in matrimonium duxerat, modis omnibus antea quoq; tentata, in calamitate tanti principis, miſericordia potius flecteretur, quàm ſupplicio capitali, quod prius in eum ſtatuerat, animaduerteret. His igitur de cauſis agi cœptum eſt, vt ſimul & Fædericus pœnas lueret, & earum grauitas Cæſaris clementia mitigaretur. Quæ quidem in principe viro laudatiſsima virtus, viſa ſemper eſt ſummam rebus vtilitatem adferre, quẽadmodum de Cæſare dictatore hiſtoriarum monumentis mandatum eſt, qui plures lenitate ſua, quàm vi & armis edomuit.

Ea re ad concilium delata, variæ ſententiæ dictæ ſunt, dum præter ſuppliciũ alii nil morarentur, alii verò puniendi quoque modum reſpicerent, multarum interim rerum habita ratione, quæ ad perpetuum victoriæ ſtabilimentum Cæſari imprimis conducerent. Quotquot enim in eam orationem ingreſsi ſunt vt ſeruãdum Fædericum cẽſerent, id etiam cogitabant quantopere totius Ger=

Ger=

Germaniæ intereſſet ne ad extremam ſa lutis deſperationem ii compellerentur, qui ſpem ſuam in Cæſaris manſuetudi= ne poſitam, ſolo Fęderici exemplo libra bãt. Hac in vtramq; partem habita diſ= putatione, tandem Cæſar moribus ſuis & mitiſsimæ naturæ obtemperãs, Fæde= ricum capitis reum multorum quidem iudicio peractũ abſoluit, leuiorisq; pœ= næ conſtitutione, ſupplicium capitale commutat.

Erant Vitembergæ Fæderici frater & vxor cum liberis natu minoribus. maxi= mus enim, quem in prælio vulneratum ſupra monſtrauimus, ſe Gotam contule rat. hi ſimul omnes de Fæderici vita ſol= liciti, euentum rei auidiſsimè expecta= bant. At ipſe Brandenburgio & Cliuen= ſi deprecatoribus vſus, ſalutem ſuã his conditionibus impetrauit.

Primò Electoria dignitate motus eſt, agrisq; & oppidis omnibus mulctatus, quæcunq; peculiariter Electoris impe= rio ſubſunt. In his Torga eſt, & ipſa Vi= temberga, Saxoniæ terræ metropolis.

In Thuringia duntaxat arces aliquot

& agros, quos prius poſſederat, Cæſaris voluntate retinuit.

Arma & ænea tormenta omnia cum vniuerſo bellicarum rerũ apparatu tradidit. Eorum incredibilis ferè numerus erat, quum ex ſola Vitemberga, præter minores machinas complures, centum viginti bombardæ exportatæ ſint.

Gota quoq; nullis viribus expugnabilis, Cæſar edixit vt ſolo æquaretur, centum in ea arce bellica tormenta maiora inuenta ſunt, minora verò quãplurima, ænearũ glandium millia centum, eaq; armamentorũ omnis generis copia, quę tãtis operibus & apparatui conueniret.

Signa militaria & machinas bellicas omnes, quas Albertus infeliciter pugnãs amiſerat, Fædericus reddidit, Alberto ipſo, qui Gotæ aſſeruabatur, è cuſtodia emiſſo, & protinus ad Cęſarem in caſtra perducto.

Mansfeltiorum & Sulmenſium principum agros & oppida per vim occupata reſtituit.

Vrbem vnam fratris eius in bello captam, Cæſar Alberto attribuit.

In cauſa religionis, principio Fęderi-cus durũ ſe ac difficilem præbuit. At po ſtea quod paulùm miteſceret, negotiũ il lud Cęſar boni ſucceſſus fiducia diſtulit.

Quæſtionem de cœnobiorum & Sa-xonicæ eccleſiæ bonis direptis, ad ſe per tinere Cæſar exiſtimans, prima quaque oportunitate habere decreuit.

Fædericus ipſe captiuitatis ſuæ tem-pus & locum depactus, Cæſaris volun-tati ceſsit vtrumq;.

Has conditiones omnes eo libentius Cæſar accepit, quo citius religionis ne-gotium, cui maximè ſtudebat, in com-modiorem ſtatum peruenturum ſpera-bat. Mouebatur etiam Saxonicę domus antiquiſsima nobilitate, veterumq́; in fa miliam ſuam officiorum memoria, qua-re committere nollet, vt illuſtriſsimo-rum principum imaginibus gens illa cla riſsima, dum priſtinæ potentiæ gloria ferè per ſupplicium præſens extingue-retur, in tantam humilitatem veniret. Qua quidẽ in re animi ſui moderationẽ potius q̃ iracundiã ſibi ſequendã propo ſuit, licet eam è ſuperioris belli indigni-

tate

tate iuſtiſsimis de cauſis conceperat.

Tales itaq; Fædericus pœnas perſol-uit, vt & ipſe ex potẽtiſsimo totius Germaniæ principe in ordinem propemodum videatur nunc eſſe redactus, & liberis quoq; poſt parentis mortẽ ad tenuioris multo fortunæ anguſtias neceſſariò deueniẽdum ſit, dum quæ ex aſſe iam viuus poſsidet, illi gentilitio inſtituto debeant in ſingulas hæreditates diuidere. atq; ita accidit, vt, quæ domus plurimũ ſemper dignitate & potentia valuit, ea nũc merito tam ſuperbæ dominationis faſtigio demolito labefactetur.

Cæterum in tanta rerum aduerſitate, quæ, vel fortiſsimi cuiusq; pectus cõſterneret, nulla tamen vox eſt à Fęderico audita, nulla deiectioris animi ſignificatio facta, qua fortunæ commutationem teſtetur. Tantum animi robur magnam profecto laudem promereamur, ſi in verum Dei cultum tam eximia conſtantia collocaretur. Rebus in hunc modum cũ Fæderico compoſitis (multa autem ſtudio prætermittens, conditionum duntaxat ſummam percurro) Vitemberga

in deditionem accepta,& hoſtium circiter millium trium præſidio excedere iuſſo,Cæſar cohortes quatuor introduxit. Vxor Fæderici biduo pòſt cum leuiro & coniugæ Erneſti ſorore,& vno è gnatis pietatis & officii cauſa oppido egreſſa,in Cæſaris tabernaculum à Ferdinandi Regis vtroque filio,Ioanne Brandenburgio,& frequenti Germanorum nobilium cœtu deducitur. Ipſa pro habitu pręſentis fortunæ,communem ſibi cum marito miſeriam, quo poſſet orationis & vultus indicio teſtata, quanquam in tanta calamitate ad mœrorem ſatis eam formaret ipſa neceſsitas,Cæſari ſe ad pedes aduoluit. Ille manu alleuatam adeò humaniter amplexus eſt,vt nihil de priſtinæ fortunæ magnificentia detraxiſſe videretur.Ea res ad ſummam commiſerationem circunſtantes adduxit,neque recentium iniuriarum,quas maritus feciſſet, memoria valuit, vt lamentabilis vxoris miſericordia impediretur. Cæſar, poſtquam ad ea quæ de Fæderici ſalute multis illa precibus oraſſet, mitiſsimè, quod viſum eſt, reſpondit, Mariti

adeundi

adeundi poteſtate facta, honorificentiſ=ſimè eam dimiſit. Ipſe poſtridie Vitem=bergam ingreſſus, oppidiq́ʒ ſitum & operis munitiones ſtudioſiſsimè contem=platus, Fæderici coniugem penſato ſa=lutationis officio, in arce inuiſit. Ad eandem olim humanitatem Alexander Sy=ſigambin, & Perſicarum mulierum tur=bam excepit. Tanto enim illuſtrior eſt victoria, quanto ea princeps modera=tius vtitur.

Iiſdem diebus à Boryſthenis vſqʒ flu=minis ripa, equeſtrium copiarum præ=fecti tres ad Cæſarem veniunt, qui do=ceant quatuor ſe equitum millia con=ficere poſſe, ſeſeq́ʒ paratos eſſe demon=ſtrant, cum iis copiis in quaſcunque partes iuberet, militatum venire. Accepta oratione eorum Cæſar, tam egregium in ſe ſtudium & voluntatem collaudat. Sed quod in eum ſtatum res iam perdu=cta eſſet, vt bello propemodum profli=gato, equitatu quem pollicerentur, ni=hil opus fore exiſtimaret, liberaliter oratione proſecutus, domum à ſe dimittit. His quoque diebus à Thunetenſium Re

ge legati ad Cæſarē miſsi, mandatis quæ ad ipſum habebāt expoſitis, parem Numidarum equitum manū Regis nomine promittunt. Rectè igitur id, & verè à nobis dici poſsit. A Scythis vſq; & Aphris, virtute Cæſaris allectos, ad eius Imperium conueniſſe.

Interea Cęſar Lazarum Schwendium ex domeſticorum numero nobilem Germanum, Gotam cum duabus militum cohortibus miſerat, qui Albertum, vt diximus, cuſtodia liberaret, ibique tantiſper cum præſidio moraretur, dum fundi tus arcē euerteret. Reliqua oppida munita, quemadmodum Cæſari cum Fæde rico conuenerat, ad diem in deditionem veniebant, cedebantq; pro inſtituta ratione omnia, neque præter Boëmiam Ferdinando etiamnum infeſtam, quicquam iam omnino ſupererat quod Cæſaris curſum tardaret. At huius quoque regni proceres nonnulli, quos coniurationis labes commacularat, legatos ad Cæſarem de pace miſerunt, magnis pollicitationibus & blanditiis inſtructos. Cognitis eorum poſtulatis Cæſar per

dies

dies aliquot apud ſe manere iuſſos, poſtmodum vbi oportunum videretur, abſoluit.

Dum hæc in Saxonia geruntur, Ericus iunior Brantſuicenſis, qui & priuatis opibus & Cæſaris auxilio in Lunemburgios principes Lutheranos, fœderatasq; maritimas ciuitates bellum commouerat, in obſidione Bremẽſi, à Manſfeltio coniurato & Thumſerno (is enim cohortes quibus præerat, & equitatum longinquo circuitu eodem cõduxerat) infelici prælio vincitur. Erant hoſtium ſimul collectæ vires ad equitum quatuor, peditum verò circiter millia quindecim. Ericus poſtea grauiter legatum accuſans, cui circa eadem loca Cæſar bellum gerendum dederat, culpam omnem vel in ignauiam, vel in perfidiam eius coniecit, quod, vti conſtitutum erat, cum copiis ſuis ad diem non conueniſſet. Hac de re dum inter ſe graues controuerſias alerent, tandem accidit vt legatus cum conſciis aliquot Cæſaris iuſſu in carcerem abduceretur.

Operoſum eſſet ſingula commemo-rare, ego quibus id oneris incumbit, la-tius hæc diffundenda relinquo. vnum hoc tamen adiiciam, quòd Saxonis vi-res vſqueadeò inualuerant, vt ſi duode-cim dierũ ſpacium interceſsiſſet, peditũ millibus amplius triginta, equitũ verò ſeptem iam comparatis, obuiam iturum fuiſſe oſtenderet. Facile quidem potuiſ-ſet tam valida manus pugnam cum co-piis noſtris conſerere, quæ quod pedi-tum ſedecim, & equitum millia quinq; non excederent, infirmiores meritò vi-deri poterant, niſi quod militum multi-tudini deerat, ducis virtute compenſare-tur. De numero hoſtium (quæ diximus) vera eſſe conſtabat. propterea quod, nõ numeratis quos Milburgum Fædericus adduxerat, quosq; priuſquam ad Albin deueniretur Cæſariani fugauerãt, quin-decim peditum, quatuor equitum mil-lia integris adhuc viribus ſuperfuêre. Taceo Boẽmorũ, quæ indies expectabã-tur, auxilia. quibus viribus & multitudi ne Saxo confiſus, ſi æquiore, vt optabat, conditione pugnare nõ poſſet, commu-

tata

tata belli ratione, cõſtituerat optimum fore, vt exercitu in proxima municipia deducto, Magdeburgum ipſe, filiorum alter Vitembergam, alter Gotam: Schoneualtum & Holdrungam ſinguli legati præſidiis tenerent, Cæſaris'q; copias vndique circunuentas commeatu & rebus neceſſariis intercluderent. Porrò autem his difficultatibus ſuperatis, tantum victoriæ noſtrę opinio potuit, vt oblitera ta quam de Erico victo paulò ante retulerant gloria, victores ipſos viribus fractos contunderet. Quin & Lantgrauius magnitudine Cæſaris & virtute perculſus, quum interim nihil prętermitteret quò proficere ſe quicquam poſſe ſperabat, rem ſæpius fruſtra tentatã aliquando dimittendam ſibi iudicat & de pace agendũ: quod inanem prorſus ſpem ſuã cognoſceret, quam & rationes cõſilia'q; domeſtica, & auxilia externa offerrent. His autem comparandis pecuniam non ita pridem à quibuſdam aliis ſumptam corrogauerat, quos perinde Cæſaris incrementa feliciſsimique rerum ſucceſſus inuidia & formidine exagitabant.

Atque hinc ſanè facilis eſt coniectura, quanti ſolius Fæderici Saxonię principis in Germania auctoritas & potentia fuerint, quo ſuperato & capto, illi quoque vires attritæ ſint, qui Germaniæ totius Imperium ſuo ſcilicet arbitratu moderari conſideret. Cæterum tantus ex victoria Lantgrauium terror inuaſit, vt nulla interpoſita mora, per Mauricium, quem in Electoria dignitate Fæderico Cæſar iam ſucceſſorem dederat, protinus incœperit de pacis conditionibus agere, quas quidem proponebat principio magnas, non eas tamē quibus omnino nihil deeſſet.

Ad Mauricium deprecatorem Ioachimus Brandenburgius ſeſe adiunxit. Horum auctoritate & gratia, qua plurimum poterant, Cæſar adductus, quæ ab ipſis Lantgrauii nomine proponerentur, audiuit & habita interim vtilitatis publicæ ratione, quid ab illo fieri vellet, oſtendit. Vbi verò ad poſtulata Lantgrauius pro commodo ſuo aliquid ſemper vel adiiceret vel detraheret, ad vltimū Cæſar reſpondit, nihil velle ſe cum Lantgrauio

grauio agere, ille ſibi quibus viſum eſſet modis conſuleret. Quo reſponſo Lipſiæ accepto (Mauricii id oppidũ erat, octo à caſtris noſtris miliarium interuallo) tanta pacis deſperatione profectus eſt, vt nullo prĕterea ſolatio ad ſpem ſuam relicto, ab vna Cæſaris clementia cogeretur ſalutis præſidium petere, qui ſumma tamẽ animi pertinacia prius ſemper dicere conſueſſet, quamlibet ſe potius fortunam eſſe paſſurum, quàm vt ſuppliciter à Cæſare venia petita eius ſe voluntati permitteret. Accidit igitur huic, quod plerunque hominibus nimia peruicacia atque arrogãtia accidere ſoleat, vti eò recurrãt & id cupidiſsime petãt, quod paulò antea contempſerint. Datis enim ad Mauricium literis, multiſq; precibus obteſtatus, vti de aduentu ſuo cũ Cæſare loqueretur, ipſe cõpoſitionis cõditiones quales Cæſar ipſe præſcripſerat, manu ſua conſcriptas tradidit, quibus paucis poſt diebus, Halæ Saxoniæ oppido (hac enim in Heſsiam cum exercitu Cæſar iter habebat) in deditionem acceptus eſt.

Alber-

Albertum à Saxonis poteſtate armis & victoria Cæſar, vt ſupra monſtrauimus, iam vindicarat, & ne quid vel ornamenti vel compēdii deeſſet, quin illi cū libertate reſtitueretur, ſigna quoq; militaria & ænea tormenta in prælio amiſſa reddenda curauerat. Is itaq; beneficio ac liberalitate Cæſaris ampliſsima hæc munera conſecutus, cùm Halam eius ſalutandi cauſa veniſſet, Ego, inquit, & Deo & tibi Cæſar ingentes gratias ago. Nec plura addidit, nec (vt mihi videtur) longiore oratione fuit opus. Quem ſibi reſtitutū Cæſar gauiſus, tāta gratulatione excepit, vt nihil vtroq; hoc bello feliciter ceſsiſſe exiſtimem, cuius voluptatē principis huius reſtitutio, nō adęquarit.

Interea Rex Vitemberga profectus, equitū, quos & è ſuis & Mauricianis coëgerat, millium circiter trium, Germanorum verò peditum duplicato præſidio (Marignana in his legio erat, Cæſaris iuſſu Regē ſecuta) Pragam, qua par erat celeritate, contendit. Biduo poſt Cæſar quoq; Lantgrauii rebus finem omnino imponendum exiſtimans, quod eam radicem

dicem exciſam vellet, vnde tam denſa tumultuum ſoboles in Germania pullu larat, cum omnibus copiis Vitemberga egreditur. Eo enim loco res erat, vt ſi in pręſentia Lantgrauii inſequēdi ratione omiſſa Cæſar ipſe exercitū in Boëmos educeret, licet rebus omnibus ex ſenten tia geſtis eo regno potiretur, illi tamen nondū ita vires acciſę eſſent, quin Cæſa ri nouam armorū cauſam neceſſariò da= ret. Cōtrà verò Lantgrauio prius edomi to, in cuius ſalute, ſecundū Saxonē, reli= qui Boëmiæ Germaniæ'q; fœderati prin cipes & populi, fortunarū ſuarum ſpem omnē locauerāt, Boëmicę expeditionis difficultas magna ex parte minueretur. His rebus adductus Cæſar Ferdinando Regi itineris maturè ſuſcipiendi auctor fuerat, Dum recentis victoriæ fama Re= gias vires extolleret, eo'q; facilius regnū illud, cui Cæſaris potentia formidoloſa iam erat, aut vi, aut ſponte ad officium redigeretur.

Pridie quàm Rex Ferdinandus diſce= deret, Hungarici equitatus præfecti, va= ledicendi cauſa frequentes ad Cęſarem

con=

conuenêre, habitaq́ꝫ oratione præſenti fortunæ ſuę ac tempori accõmoda, ſupplices auxilium implorarunt, vt Pannonię regnum crudeliſsima Turcarum tyrannide oppreſſum, per occaſionẽ in libertatem aſſereret. Cæſar eorum animis permulſis & confirmatis, ad Hungariæ principes & populos literas etiã dedit, quibus illos cõſolaretur, & ſpem ſeſe dignam preberet. Equeſtriũ copiarũ pręfectos & decuriones, ſingulis trecentorum coronatorum torquibus donauit. Reliquis turmis ſuper emerita ſtipendia in equites ſingulos donatiui nomine, alterum quoqꝫ gratuitum dedit, quam illi liberalitatẽ magnis laudibus proſequuti ſunt. Mauricium quoque Electoria inauguratione ornauit, aſsignatis agris & vrbibus quæ ad eam dignitatem ex veteri inſtituto pertinent. Ac ne parcior in bellica virtute honoranda erga humiliores iudicaretur, Hiſpanos qui enſes mordicus tenentes nando ad hoſtium ſcaphas euaſerant, donis militaribus impertitos noluit inauditæ virtutis præmio defraudari. Singulos igitur holoſerica

veſte

veſte coccina,ad cultum militarem amiciendos curauit, & præter coronatos triginta,quos tum auferrēt,aucto quoq; ſtipendiorum commodo, inter armaturas duplares adſcripſit.

Cæſar Halam ingreſſus,quod oppidū Fędericus à vetere Magdēburgii antiſtitis clientela ad ſe traduxerat, Lātgrauii aduentum ibi expectare inſtituit,vt quę de cōpoſitione per Electores acta eſſent, ea publicè confirmarētur. Conditionū autem, quantū meminiſſe potui, ſuprema capita hęc ſunt.

Lantgrauius omneſq; eius clientes iureiurando in verba Cæſaris adacti,vltro ſe eius voluntati permittant.

Ipſe ex omni ditione quatuor delectas vrbes continuò dedat.

Loca munita,quę iuſſus fuerit,diruat.

Centum quinquaginta aureorum millia mulctam perſoluat.

Tormēta bellica omnia rhœdis ex more impoſita(hęc amplius ducenta erant) Cæſari tradat.

Henricum Brantſuicēſem ſeniorem, quem toto biennio captiuum detinuit,

in

in libertatem & ditionem reſtituat.

De controuerſiis poſſeſsionum ac ditionũ, quas vſurpauerit, ſacroſancti Imperii Senatus decernat. Quã quidẽ rem tanti perpetuò fecerat, vt ne eo deueniretur, obſtinatius omnia agere, turbare, ac permiſcere voluerit.

Nobilitas vniuerſa quæ Lãtgrauii imperio ſubeſt, ſe iureiurando obſtringat, vt ſi ille rurſum de officio & fide deceſſerit, captũ ad Cæſaris manus perducat.

Vitam beneficio Cęſaris habeat.

Perpetua cuſtodia non aſſeruetur.

Tabulę proſcriptionis in ipſum latæ aboleãtur. His ille conditionibus vltro ſe Cæſari dedidit.

Ante Lantgrauii aduentum inter Hiſpanos & Teuthones Halæ ſeditio orta ſic repente ſæuiit, vt ni propere Cæſar medium ſe tumultuãtibus oppoſuiſſet, non alia ratione videretur poſſe ſedari. Remedium certe neceſſariũ periculo nõ caruit, dũ inter duas acies armorũ furore & amẽtia cæcas, nõ cunctatus ſit intrepide ſeipſum Cęſar coniicere.

Erant (vt ſupra monſtrauimus) in caſtris

ſtris noſtris Boëmorũ legati, quos Cęſar detineri iuſſerat. Hos iã data occaſione ad ſe vocat, ſimul cõmonefacit ſi qua ini quioris imperii conditione id regnũ pre matur, ſperare ſe pro fratris temperãtiã & æquitate, facile quaslibet iniurias le- uari poſſe, ad quã rem (ſi velint) ſe quo- que adiutorẽ profiteri, modo ad officiũ & ſanitatem reuerſi, pertinacia ſua deſi- ſtant. Si id non faciant, ſeſe (cum & natu ra & ratio cogant, vt communẽ cum fra- tre fortunã frater habere ſe æſtimet) Re gis iniurias non neglecturum. In hanc fe rè ſententiã Cæſar & coram cum legatis locutus eſt, & ad Boëmos, à quibus vene rant, literas dedit.

Interim Lantgrauius centum equiti- bus comitatus Halam peruenit, & eo ibi die à Mauricio Electore genero ſuo cœ- na & hoſpitio exceptus eſt. Poſtridie prandio abſoluto à Mauricio & Ioachi- mo in Regiam deductus, frequẽtiſsimo nobilium Germanorum conuentu, qui neq; ſe id vnquam viſuros ſperauerant, neq; vlla ratione futurum Lantgrauius confidenter, ſed falſo prędixerat, coram

T Cæſa-

Cęſare qui ad eã rem in anteriorẽ aulam parat⁹ acceſſerat, capite aperto in genua prouolutus eſt. Ibi Cancellarius honorificentiſsime Cæſarẽ appellans, ſupplex pro eo huiuſcemodi orationẽ habuit.

Philippus Heſsię Lantgrauius, Inuictiſsime Cæſar, iuſta delicti ſui pœnitudine ductus, quo & ipſe & quoſcunq; in ſceleris ſocietatem pertraxit, æquiſsima in ſe data iraſcendi cauſa, Maieſtatem tuam toto hoc bello indignis modis imminuerunt, licet ex animi cõſciẽtia ſe dignum intelligat in quem extrema ſeueritate animaduertas, manſuetudinis tamen & clementiæ tuę fiducia, quod promiſsis etiam & precibus impetrauit, id nunc facere audet vti in cõſpectum tuũ progrediatur, Cæſareã Maieſtatẽ tuam per cœleſtẽ illum Dei erga humanũ genus amorẽ & miſericordiã obteſtatus, vt cũ ſe ſuaq́; oĩa fidei ac voluntati tuę permittat, miſero item & ſupplici pro lenitate tua parcas, iniuriarũ omniũ memoriam deponas, & abrogata proſcriptione qua optimo iure damnatus eſt, in antiquam ditionem reſtituas. Quibus ipſe

bene-

beneficiis affectus, clientium & popularium ſuorũ iura,leges,agros,& libertatẽ poſsit venia tua,& pace tueri. Vnum in terris,te Cæſar, prædicat iure à Deo patronũ ſibi conſtitutũ, eoq; poſthac obſequio venerandũ, quo & tuã & ſacri Imperii Maieſtatem à viro principe tibi in clientelã dato,æquũ eſt obſeruari. Quoniam autẽ, vbi pro pietate & tibi & patrię ſatisfecerit,oporteat officii quoq; rationẽ habere, ecce pollicetur & iureiurando cõfirmat,nihil in poſterũ in te nouaturũ,quo ſui videatur controuerſiam facere,ſed pro tãtis in ſe beneficiis quoad vixerit conaturũ,vt data facultate & errata officiis ſuperet,& animi gratitudine veniã impetratã exornet,atq; id denique effecturũ,vt re ipſa,Inuictiſsime Cęſar,intelligas,à Lantgrauio & clientelis, pacis à te datę cõditiones,quo par eſt ſtudio & veneratione ſeruari.

Ad ea Cæſar per oratorem ita reſpondit. Quę Lantgrauius dixerit ſe accepiſſe, cuius facinora inſolentiæ & crudelitatis nefariæ plena, licet nullis cruciatibus expiari queant,tamen & conſuetu-

dine ſua, & honoris eorum qui precati ſunt cauſa, ſupplici noxam cõdonare, & capitis pœna, proſcriptione, carceribus perpetuis, quorum ſimul omniũ meritò cõuictus erat, abſoluere. Nõ magis enim ſe id contẽdere & velle, ne pactionẽ ſancitam, aut ipſe, aut cliẽtes, & ſubditi eius violẽt, q̃ vti clementiã, qua in illos vſus eſt, fide & obſequio demereantur. Hæc ipſa ferè & à Cæſare & à Lantgrauio verba ſunt vltro citroq́; habita, ea quoq; voluí huiuſmodi oratiõis facie deſcribere.

Lantgrauius his dictis ſurrexit, Cæſar ei neque dexteram dedit, neq; vllum beneuolentię genus exhibuit. Digna ſanè res erat quæ ab omnibus annotaretur. Lantgrauiũ Cæſari ad pedes proiectum & captiuum, Henricũ verò Brantſuicenſem, quem prius ipſe in eodem fortunæ habitu detinuerat, libertati iam reſtitutum, & in pedes erectum circa Cæſarem cernere. Eſt enim fortunę ridicula quædam viciſsitudo, & inconſtãs fluxaq́; rerum humanarum conditio. Quibus rebus confectis Albanus, Lantgrauiũ adit, dicit vti cõtinuò ſe in arcem (ipſe enim

eo diuerterat) ſequatur. Electores in cœnam conuiuas vocat, ea peracta, Lãtgrauio in ædibus iiſdem hoſpitio locũ deſignat, & Ioannem à Geuara, qui inter Inſubricæ legionis Hiſpanos ordinem ducebat cuſtodem attribuit.

Lantgrauius principio captiuitatem ſuam impatientiſsimè tulit. eam quod non perpetuam ſciret, tam indulgẽtem & facilem opinione præceperat, vt liberum adeò foret, cũ vellet, ad Heſsiæ nemora in venationem abire. At non ſine diuina prouidentia factum videtur, vt quibus artibus, cæteris Germanis ſeſe præſtare confideret, cõſilio nimirũ & rerum actu, iis ipſe ſe implicaret. Reliquis enim cuſtodię conditionibus pętermiſſis, dum tabulis ſuapte manu cõſcriptis ſolũ tẽpus paciſcitur, non animaduertit ſuo ſe gladio iugulari, & tẽporarii carceris conditiones ab eius arbitrio pẽdere, in cuius ſe poteſtatẽ dediderit. Cæterũ ad ſe poſtea reuerſus, vbi ſuis ipſius ſcriptis reuinceretur, paulò iam quietiore animo, cępit fortunã quoq; moderatius ferre. Itaq; in rebus publicis priuatiſq;

contrahẽdis qui plurimũ ſibi tribuerat, accidit vt in iis incogitanter à ſeipſo circunſcriberetur. Fædericum verò bellica virtus & potentia falleret, quorum tamen præſidio ſummopere fiſus, ad non tolerandam vſque fœrocitatem ſolitus erat inſoleſcere.

Duos hoſce factionis Lutheranicę principes, qui Chriſtianę Reip. tranquillitatem infeſtiſsime perturbauerãt, Cæſaris Imperio Deus tãta illius laude ſubiecit, quantã & præſens ætas per orbem terrarum publicæ lætitiæ teſtimonio & fama concelebrat, & oĩs poſteritas æterna admiratione ad cœlum feret. Quandoquidẽ verò ambos hoc loco res obtulit, ſilentio præterire non fuit conſilium quin vtriuſq; naturã & mores, quantum ex publico iudicio colligere potui, aperirem. Igitur Fædericus animi magnitudine, beneficiis ac munificẽtia clarus habetur, prudens eſt, aditu & colloquio facilis, & pro captu ſuo admodũ amabili ſermonis ſuauitate & gratia. Quibus animi ingeniiq; dotibus, apud oẽs Germaniæ ciuitates magnas amicitias cõparauit.

uit. Animi tranquillitate longe Lantgra uium ſuperat, cuius cõſilio & perſuaſio= ne impulſus, ſuperioris anni bellum (vt fertur) ſuſceperat. Lãtgrauius multũ ab huius ingenio & moribꝰ differt. Eſt enim ſupra modũ inquies, negotiorũ & cõtra= ctuum cupidus, in familiari conſuetudi ne nõ vt Fædericus affabilis, è cuius ſer= mone facile imprudentiã quandã inge= niiq; mobilitatẽ percipias. Animi quoq; fortitudinis nõ ita magnã habet opinio= nem, ſed quod ſuperioris tẽporis moti= bus agitandis maiorẽ quàm cæteri dili= gẽtiam ſolertiamq́; adhibuit, fœderisq́; ſumma cõmuni omniũ cõſenſu illi per= miſſa fuit, his rebus accidit vt autorita= te, & opibus diſpar, Fędericum ſola men tionis & famę frequentia vinceret.

Cæſari, dum Halæ moratur, per lite= ras à Pontifice magna victoriæ gratula= tio facta eſt, in diplomate MAXIMI & FORTISSIMI delato cognomine, quem ipſe honorem nõ minore merito, quàm virtute adeptus eſt. His rebus geſtis Cæ= ſar Hala diſcedens, arces Lantgrauicæ ditionis præter vnam omnes demoliri

 iubet,

iubet,æneaq́ꝫ tormenta quæ & in iis paſ-
ſim & Gotę prius reperta eſſent, Franc-
fordiam in vnum locũ cõferri, ibi enim
bellicarum rerum omnium,quas vtroqꝫ
hoc bello prædæ loco habuit,armamen
tarium inſtituit. Quumq́ꝫ ita id ratio po
ſtulet vt non ſola victoriæ fama,ſed inſi
gnibus quoqꝫ, & veluti tropheis ſubdita
illi regna condecorentur, machinas oẽs
ad hunc modum diſtribuit. Earum quas
Vitemberga deuectas mõſtrauimus, Me
diolanum quinquaginta, ac parem nu-
merum Neapolim mittit.ducẽtas Lant-
grauio per mulctã ablatas, centũ Gotæ
inuentas, totidẽ ſuperiore fœderatorũ
bello cõfecto à ciuitatibus ex pacto acce
ptas,è Frãcfordia in Belgicã deſtinat,vt
ex omni copia trecẽtis in ea regione re-
lictis,quę ſuperſint in Hiſpaniam cõue-
hantur,additis quoqꝫ centũ quinquagin
ta quas prius eo mittendas cõparauerat.
Quibus omnibus ex ſentẽtia cõſtitutis,
quęq́ꝫ cũ Fęderico & Lãtgrauio trãſege-
rat conſecutus,per Bambergenſiũ fines,
qua proximum Boëmiæ ſyluis iter erat,
Norinbergã contẽdit. Nolebat enim ab

eo regno lõgius diſcedere, quo maiores Ferdinãdi rebus propinquitate ſua neruos adderet. Ab eo autem nõ ita multo poſt per literas certior fact⁹ eſt Boëmos vi ſuperatos ad officium iam rediiſſe. Tanti enim principis huius auctoritas eſt & opinio, vt ad rem quantumuis arduam ſtudium & alacritatem accendat.

Thuringia erat per quam ducebatur exercitus, regio fertilis, ſed multis præruptis locis & viarũ anguſtiis impedita. Eas incolæ ita obſtruxerant, vt ex munitionibus facile iudicari potuerit, longè alia prius ſperaſſe, ac poſtea illis euenerint, viribusq́; principis ſui nimium confiſos, non credidiſſe vnquam vt Cæſarẽ victorem iis locis conſpicerent, quo exercitui aditus alioqui nõ eſſet. At quod victoribus nil ſit impeditum, illas quoque difficultates ſine maiore negotio ſuperauimus.

Bellum quod Lantgrauius cũ Henrico Brantſuicio geſsit, rurſum quod Ericus iunior, Cruningius & Friſpurgius in Bremenſes mouerant, aliaq́; permulta quæ huc referri poſsint, ſtudio prætermitto,

ne dum commentarios augeam, aliis videar ſcribendi anſam præripere. Duo hæc duntaxat laboris præmia mihi petam, & ſcriptores hoc veluti libello memoriali iuuiſſe, & rerum geſtarũ memoriæ principis terrarum Cæſaris pro virili parte me quoq; conſuluiſſe.

His diebus Fæderici filius natu maximus in Thuringiam ad Cæſarem venit paternas pactiones ſuo etiam ſuffragio confirmaturus. Cæſar liberaliter eum excepit, & iis quæ petiiſſet auditis, rogauit num à capitis & manus vulneribus conualuiſſet. Qua humanitate adoleſcens maiorem in modum lætatus eſt. comis enim & blanda conſalutatio, dici vix poſsit quãtam principi viro, præſertim victori, beneuolentiam & amorem conciliet.

Bambergæ Cæſar à Cardinale Sfonderato Pontificis oratore ſalutatus eſt. Inde itinere nõ intermiſſo, Norimbergã peruenit, ibiq; paucis diebus quæ de comitiis habendis fieri vellet, conſtituit, Vlmam enim, vbi Germaniæ totius conciliũ indixerat, non ita immunẽ à peſte

ſcie-

ſciebat, vt illi loco & ſuam & tot princi-
pum ſalutem committendam putaret.

Iiſdem tẽporibus à Lubeco ampla ciui-
tate & nobili, legati ad Cæſarẽ veniunt
qui doceant nunq̃ ſe cũ fœderatis cõſen-
ſiſſe, neq; (vt pro certo etiã cõſtat) omni-
no contra eũ conſpiraſſe. Bremẽſes quo-
que per Danorum Regem finitimũ fer=
mè & neceſſarium ſuum, inſtanter agũt
vt à Cæſare in fidem recipiantur. Pome-
ranus & Lunẽburgius purgatione, preci-
bus, & ſatisfactione idipſum conten=
dunt. A Brantſuicanis item & Hildeſ=
haimenſibus legatos Auguſtam venire
aiunt, qui ciuitatẽ vtramq; Cæſaris vo=
luntati & clementiæ dedant. Hos potiſ=
ſimũ proſcriptionis metus impellit, tan-
taq; Cæſaris ad vlciſcendum facultas, vt
nihil ipſum abſentia impediat, quo mi=
nus vel abſq; vlla militum ſuorũ manu
detrimẽtum illis, quod velit, inferat. Nã
& prædæ cupiditate finitimi ſi euocen=
tur, libenter id bellum ſuſcipiant, & fœ=
dere quo vſq; adeò ciuitates confirma=
bantur, per Cæſarem ſuperiore anno re=
ſciſſo, difficultas belli inferẽdi tollatur.

Hamburgum autem ipſum (quæ ad Oceanum ſunt fœderatarum ciuitatum firmiſsima) primum omnium in deditionem venerat, miſsis Norimbergam ad Cæſarē legatis, qui magna pecuniæ ſumma mulctæ nomine perſoluta, aliiſq; nōnullis quæ imperarentur confectis, ciuitatem, quod antea nunquàm præſtitum fuerat, in Cæſaris clientelam conferrēt.

Hic rurſum pro inſtituta breuitate mea lectorem admoneo ex magno deditiarum ciuitatum numero has tantummodo cōmemorari, ne, quarum in ipſo hiſtoriæ capite memini, videar eas in calce ſilentio præterire. Equidem id affirmare auſim quotquot ante peractos Augustæ conuentus Cæſar in gratiam non acceperit, quantumuis imminētem ſibi calamitatem euitare conentur, fore tamen vt publico totius concilii decreto, rebellionis & pertinaciæ exitū opinione etiam miſeriorem inueniant.

His tandem rationibus Germaniā Cæſar pacauit, tam edito virium & ſuperbiæ faſtigio ſitam, vt eius factionis potētiſsimi quiq; arrogantiam ſuam, ſummā

æquitatem : malarum rerum audaciam, magnam fortitudinem æſtimarent. Erat haud dubie tam firmum illorum robur vt in ope humana non ſatis præſidii videretur, quo à reliquis Chriſtiani orbis partibus reſiſti poſſet, ni cœleſti potētia Deus, quod optimū ſciebat, rebus afflictis remedium attuliſſet. Eius enim beneficio tanta Cæſar victoria ſublimis, quoſcunq; olim ſtrenuos bello duces & Imperatores Roma dedit, nominis ſui claritate obſcurat. quū rerum geſtarum magnitudine victus ſit à nemine, rerum verò gerendarū & ſuſcipiendi belli cau ſa ipſe vicerit omnes. Siquidē his rebus effectum eſt, vt Palatinum, Mauricium, Brandenburgiū cæteroſq; gentiles eius, Virtēbergium, & quod plurimum Germania admirata eſt, Lātgrauium ipſum reliquoſq; principes & populos iureiurando obſtrinxerit, ſolius eccleſiæ decre to ſtaturos, de quarum rerum omnium proſperrimo ſucceſſu, qui pontificē certiorē faciat, ex Auguſta Vindelicorum, quo concilium cōuocauit, antiſtitē Tridentinum, purpurati ordinis virū, cum manda-

mandatis ad vrbem mittit.

Tam ardui belli magnitudo pleniorẽ vberioremq́ hiſtoriam exigit. At ego vt breuitati meæ patrociner, id antea quoque ingenuè faſſus ſum, eo conſilio hos à me cõmentarios confectos eſſe, vt ſcriptoribus veluti memoriȩ adminiculum quoddam ſubſtruerem, quo rerum hoc bello geſtarum ſcientia fulciretur, ne periculo obliuionis labaſceret. Ei autem extremum vallum hunc affigere volui. Cæſarem dictatorem qui nouem annis Galliam olim in prouinciæ formam redegit, orbem vniuerſum commentariorum ſuorum fama compleſſe, quod autẽ diebus omnino octodecim trans Rhenũ conſumptis, ſatis & ad laudem & ad vtilitatem P.R. terrarum domini profectũ arbitratus in Galliam ſeſe recepit, ob eas res ex literis eius multorum dierũ ſupplicationem à Senatu decretam. A Carolo Cæſare, eam ipſam gentem & veterum Romanorum & ætatis noſtræ teſtimonio bellicoſiſsimã, fœrociſsimamq́ minus anno pacatam eſſe. Carolum cognomento Magnum, annos amplius triginta

ginta cum Saxonibus bellum geſsiſſe: Carolum Quintum vix tribus mẽſibus iugũ Saxonibus impoſuiſſe. Quum itaq; humilior mea hæc ſcribendi ratio ſit, quàm vt pro ſublimitate rebus à Cæſare geſtis reſpõdeat, illud certè apud omnes teſtatum eſſe cupio, nihil à me gratiæ, nihil odio datum, ſed nudam duntaxat & liberam veritatem ob oculos poſitã, quo certiora omnia exploratioraq́; poſteris traderem, quæ vtroq; hoc bello vt rectiſsimè ſemper à Cæſare adminiſtrata ſunt, ita quoque huic potiſsimum rationi æquum eſt omnem euentus felicitatem attribui. Nam neque conſilium illi vnquam dum opus videretur, neque prudentia defuit, & vbi quid fortiter ac ſtrenuè agendum eſſet, neſcias maiore ne animo an viribus negotium aggrederetur. His rebus geſtis Cæſar, quoſlibet ſuperiorum temporum Imperatores tam longè ſuperat, quàm virtute & bonitate præcellit.

FINIS.





6IM
VII 57

BD
184
A9
1550
HarvardFC

1827